

INSTITUTIONES

PHILOSOPHIAE MORALIS

INSTITUTIONES

PHILOSOPHIAE MORALIS

AUCTORE


AUGUSTO FERRETTI

E SOCIETATE IESU

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

VOLUMEN II.



ROMAE

TYPIS MARII ARMANNI

Piazza delle Terme N. 4.

1887


LIBRARY

PARS ALTERA

PHILOSOPHIA MORALIS SPECIALIS



CAPUT I.

DE IURE ET OFFICIO IN GENERE CONSIDERATIS.

1. « Deus, inquit Suaresius (1), non solummodo est finis et veluti scopus ad quem creaturae intellectuales tendunt, sed etiam est causa sui comparandi. Nam creaturas suas regit, et ostensa via ad se ducit; et ne a recto itinere deflectant, admonendo compescit, deflectentesque sua ineffabili providentia revocat ac reducit, doctrina illuminando, consiliis monendo, legibus cogendo, et praecipue suae gratiae auxiliis adiuvando, ut iure merito inclamet Isaias (2): *Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos* ». — Haec eximii Doctoris verba paucis exhibent summam eorum omnium, quae in superiore parte exposuimus. Egimus nempe de Deo, *ultimo fine* nostro ac *supremo legislatore:* metam scilicet assignavimus, ad quam tendere debemus, modumque insuper eam attingendi ostendimus.

(1) De leg. in prooem. ab init.
(2) C. XXXIII. v. 22.

2. Verum de lege a Deo lata, seu de modo tendendi in finem, generica nimis atque universali ratione locuti hactenus sumus. Si generalibus illis contenti principiis subsisteremus, haud absimiles videremur rhetori, qui totus in eo esset, ut dicendi vim et efficaciam discipulis commendaret, quique tamen nihil adderet de locis, ex quibus apta ad persuadendum argumenta duci debent, itemque de affectibus deque modo eos excitandi omnino sileret. Oportet igitur, ut de lege magis in particulari agamus, illud determinate inquirentes, quid in specie lex homini concedat seu permittat, quid ei commendet vel suadeat, quid stricte praecipiat, quid severe prohibeat: idque omne accurate perpendamus in ordine ad varios, in quibus homo reperiri potest, status seu conditiones. Duplici autem in statu, ut in Prologo (1) iam diximus, debet homo spectari — ut individuum est seu persona privata — ut est membrum communitatis. Quare utraque haec de homine consideratio seu utraque haec legis ad hominem applicatio est rite instituenda.

3. Ex quibus duo haec liquido constant, nempe quodnam intercedat discrimen inter hanc et praecedentem partem, necnon quaenam sint quaestiones altera hac in parte pertractandae. Discrimem in eo consistit, quod prior illa pars *generalis* erat, haec vero altera est *specialis*. In hac porro altera parte de tribus hisce est nobis agendum, videlicet — de iure in genere — de iure individuali — de iure sociali.

4. Hoc igitur in capite de iure generatim inspecto disseremus: sic autem complebimus ea, quae nimis breviter diximus de virtute iustitiae.

---

(1) Vol. I. num. II. pag. XIII.

ARTICULUS I.

De multiplici iuris acceptione et eius varia ad iustitiam habitudine.

Thesis I.

1. *Nomen iuris triplici potissimum sensu accipitur: primo quidem pro lege: secundo autem pro iusto, id est aequali, quod alteri debetur: tertio vero pro potestate legitima ad rem aliquam obtinendam vel ad aliquam functionem vel quasi functionem, cuius violatio iniuriam constituit. II. Si ius priori sensu accipiatur, est regula, quam iustitia in suis actibus sequitur: si sumatur altero sensu, ius est obiectum, quod iustitia intendit quodque ipsa cuique tribuit, et ius passivum seu obiectivum dici potest: si tertio sensu usurpetur, ius est titulus, quem iustitia respicit ex parte proximi, seu ratio propter quam vult suum cuique tribuere, et ius activum dici solet seu formale.*

5. Praenotiones. De etymo huius vocabuli *ius* primo loco est breviter agendum: siquidem assequendae vi et significationi vocabulorum valde confert diligens etymorum studium.

Sunt 1°.) multi, qui existimant *ius* dictum esse a *iubendo*, quasi sit *iussum* per ultimae syllabae amputationem imminutum. Ita Forcellini (1): « Ius a *iubeo*, quia iubetur ab eo, qui summam habet potestatem. Ius enim apud Romanos fuit, quod a populo iussum fuerat, cuius

(1) Lexic. in h. v.

proprium erat iubere. Porro antiquissimi *iousa* dixerunt (quippe *ious* per diphthongum pluries scribitur in vetusto marmore apud Murat. 582. et alibi), nec litteras geminabant, nec utebantur littera canina R: postea abiecta diphthongo et sibilante littera in caninam versa *iura* dixerunt. Est autem universim id, quod legibus constitutum est sive naturalibus, sive divinis, vel gentium, vel civilibus ».

Sunt 2°.) alii, qui opinantur *ius* dictum esse pro *iusto*. « Crediderim, ita Sotus (1), per apocopen, hoc est amputationem syllabae in fine dictionis, *iustum* dictum esse *ius*..... Unde graece δίκαιον (2) idem promiscue significat, quod iustum et ius ». Neque aliter existimasse videtur Isidorus (3) inquiens, « ius esse dictum quia iustum est ».

« Quamvis, sic concludam cum Suaresio (4), incer-

---

(1) De Iust. et Iure l. 3. q. 1. a. 1.

(2) De etymologia huius vocis δίκαιον ita disserit Aristoteles, Ethic. V. 4.: *Διὰ τοῦτο καὶ ὀνομάζεται δίκαιον, ὅτι δίχα ἐστίν, ὥσπερ ἂν εἴ τις εἴποι δίχαιον, καὶ ὁ δικαστὴς διχαστής.* Propterea etiam appellatur δίκαιον, quia est δίχα (adv., *in duo*), perinde ac si dicas δίχαιον, et δικαστής iudex διχαστής bipartitor. — Nempe quia per iustum *commutativum* damnum et lucrum dividitur ex aequo et quodammodo bifariam, bifariam autem graece dicitur δίχα; ideo iustum ab initio vocatum fuit δίχαιον, iudex διχαστής. Deinde vero mutato χ in κ, fortasse euphoniae gratia, iustum dictum est δίκαιον, iudex δικαστής. Cf. Silv. Maurum in l. c.

(3) L. V. etymol. cap. 3.

(4) De leg. l. 1. c. II. num. 3. Eximius doctor praeter duas, de quibus diximus, deductiones a *iusso* et a *iusto*, aliam quoque commemorat, at simul reiicit, etymologiam a *iuxta*. « Dura, inquit, mihi videtur et singularis haec deductio ». L. c. n. 1. Idem videtur dicendum de aliis deductionibus — a verbo *iuvo*, quod ius adversus vim et iniuriam sit praesidio — a nomine *vis*, a quo per metathesim seu litterarum transpositionem deducatur etc. Illud addam, non deesse auctores, qui *iuris* nomen connumerent vocabulis *primitivis* neque aliunde deductis.

tum sit, quae istarum duarum deductionum sit verior, utraque praesenti instituto deservire potest ».

6. Declaratio. Huius theseos, ut ex ipsis enunciationis verbis patet, duae sunt partes.

I. Prior pars tres illas exhibet huius aequivoci vocabuli, *ius*, acceptiones, quae diligentiori studio, quod ad praesens attinet, sunt a nobis expendendae.

1°.) Compertum omnibus est, *ius* frequenter accipi pro *lege*. « Hoc modo, inquit Suarez (1), sumunt frequenter hanc vocem iureconsulti, ut quando dicunt, *hoc vel illo iure utimur*, vel *hoc est certi et explorati iuris*, et similia. Item videtur hoc modo sumi, quoties a facto distinguitur, ut cum dividitur ignorantia *iuris* ab ignorantia *facti* ».

Hoc sensu dixit Tullius (2) : « Si, id quod praeclare a sapientibus dicitur, vultu saepe laeditur pietas ; quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura divina atque humana (i. e. leges divinae et humanae) cogebant ? » Item s. Thomas ius pro lege accipit, ubi ait (3) : « Cum dicitur, quod *non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum*, intelligitur de prohibitione facta per ius positivum. Si autem referatur ad ius naturale, quod continetur primo qnidem in lege

(1) Ibid. num. 6. Mox bis repetit, ius saepe cum lege converti.

(2) Orat. pro Sexto Roscio Amer. XIII. 37. Et paulo post. XXIII. 65.: « Nemo putabat. quemquam esse, qui cum (per parricidium) omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt ».

(3) In 1. 2. q. 71. a. 6. ad 4. Quem locum super. explicavimus vol. I. num. 106. pag. 295.

aeterna, secundario vero in naturali iudicatorio rationis humanae, tunc *omne peccatum est malum, quia prohibitum*: ex hoc enim ipso quod est inordinatum, iuri naturali repugnat ». Rursus alio loco (1): « Quia homo inter cetera animalia rationem finis cognoscit et proportionem operationis ad finem, ideo naturalis conceptio est ei indita, qua dirigitur ad operandum convenienter, quae *lex naturalis* vel *ius naturale* dicitur, in ceteris autem animantibus aestimatio naturalis vocatur ». In re autem satis comperta haec attulisse exempla sufficiat.

Haec acceptio respondet ac favet etymologiae illi, qua *ius* a *iubendo* dicitur.

2°.) Frequens etiam est apud Latinos harum usus locutionum, *tribuere reddere etc. ius alteri*, *obtinere persequi etc. ius suum*. In quo loquendi modo illud est in primis manifestum, ibi *ius* accipi pro *iusto*.

At iustum, ut docet Aristoteles (2), dicitur dupli-

---

(1) Suppl. q. 65. a 1. Vide super. vol. 1. num. 102. pag. 280. Lege tamen ea, quae idem s. Doctor habet, 2. 2. q. 57. a. 1.: « Lex non est ipsum ius, proprie loquendo, sed aliqualis ratio iuris ».

(2) Ethic. l. V. c. 1.: *Δοκεῖ δὲ ὅ τε παράνομος ἄδικος εἶναι καὶ ὁ πλεονέκτης καὶ ὁ ἄνισος, ὥστε δῆλον ὅτι καὶ ὁ δίκαιος ἔσται ὅ τε νόμιμος καὶ ὁ ἴσος. Τὸ μὲν δίκαιον ἄρα τὸ νόμιμον καὶ τὸ ἴσον, τὸ δ'ἄδικον τὸ παράνομον καὶ τὸ ἄνισον.* Videtur autem iniustus esse et is qui legis transgressor et is qui pluris usurpator et is qui inaequalis est, ex quo manifestum, quod etiam iustus erit et qui legis custos et qui aequalis est. Iustum igitur est legitimum et aequale, iniustum vero illegitimum et inaequale. — Quae verba sic apte explicat Silv. Maurus: « Iniustus videtur dici tribus modis, qui tamen reduci possunt ad duos. Primo iniustus dicitur, qui leges violat: secundo dicitur iniustus, qui ex bonis sumit sibi plus, quam sit aequum: tertio dicitur iniustus inaequalis, qui nimirum ex malis sumit sibi minus, quam sit aequum. Duo posteriores modi possunt reduci ad unum, per quem iniustus dicitur *inaequalis*, seu sit inaequalis per excessum, eo quod sumat sibi plus de bonis, seu sit

citer. Dicitur *primo*, quod est *legitimum* seu secundum legem, τὸ νόμιμον: dicitur secundo, quod est *aequale*, τὸ ἴσον, *alteri debitum*. Iamvero in iis, de quibus diximus, ac similibus locutionibus ius saepe, immo frequentius accipitur pro *iusto*, accepto non solum primo illo sensu generaliori, sed etiam sensu altero speciali, i. e. accepto non solum generatim pro *legitimo*, sed etiam speciatim pro *aequali* debito alteri. Sic e. g. quando dicimus operarium obtinere ius suum, hoc sane intelligimus, eum *aequalem* operi a se posito mercedem seu retributionem recipere (1). Item quando dicimus eumdem persequi ius suum, hoc profecto intelligimus, eum coram civili tribunali stipendium *aequum* repetere i. e. recompensationem exigere *maiorem* illa, quam accepit, quamque operi a se praestito *inaequalem* esse contendit (2). Haec alia iuris acceptio respondet ac favet etymologiae illi alteri, qua *ius* dicitur pro *iusto*.

---

inaequalis per defectum, eo quod sumat sibi minus de malis. Proportionaliter igitur iustus dicitur dupliciter. Primo dicitur iustus, qui legibus obtemperat, secundo dicitur iustus qui est aequalis, eo quod neque de bonis sumat sibi plus, neque de malis minus. Sicut iustus et iniustus dicitur dupliciter, sic iustum et iniustum dicuntur dupliciter. Primo dicitur iustum, quod est legitimum seu secundum legem: secundo dicitur iustum, quod est aequale ».

(1) Sic apud Matth. XX. 4., paterfamilias operarios *stantes in foro otiosos* hisce verbis compellat: « Ite et vos in vineam meam et quod *iustum* fuerit dabo vobis ».

(2) Vide locum Aristotelis, magn. Mor. I. 34., super. allatum vol. I. pag. 446.: « Iniustum inaequale est. Quum enim bonorum maiora sibi adsciverint, malorum vero minora, id est *inaequale* et hoc modo iniuria afficere se alios afficique ipsi ab aliis homines putantur. Non dubium igitur, quum sit iniuria in rebus inaequalibus, quia iustitia et iustum in contractuum aequitate sive aequalitate consistat ».

Hoc pacto s. Thomas accipit *ius*, cum ait (1): « Ius primo impositum est ad significandum *ipsam rem iustam* ». Et paulo post (2): « Ius sive iustum est aliquod opus adaequatum alteri secundum aliquem aequalitatis modum. » Item de Valentia, cum sic loquitur (3): « Vocabulum iuris significat idem quod *iustum* per aequalitatem quamdam unius cum altero. Quae acceptio huius nominis videtur esse primaeva et a qua derivatae sunt reliquae iam dictae (octo autem iam enumeraverat diversas huius nominis acceptiones).... Probabile namque videtur, quod censuit Sotus, ius per apocopen, hoc est amputationem ultimae syllabae, dictum esse quasi iustum ». Eadem habet Lessius (4): « Nomen iuris accipitur primo, ut sit idem quod *iustum*. Iustum autem dupliciter accipitur secundum Aristotelem: nempe *generatim* pro *legitimo*, et sic omne opus virtutis, quatenus consentaneum legi, dicitur ius et iustum: et *speciatim* pro eo, quod est *aequale et alteri debitum;* haec enim tria involvit iustum stricte acceptum, ut colligitur ex d. Thoma (5), *aequalitatem*, *debitum* et *esse ad alterum:* sic dicimur reddere ius alteri ». Neque aliter rem hanc alii explicant auctores (6).

3°.) Alia est etiam frequens huius vocabuli ac-

---

(1) In 2. 2. q. 57. a. 1. Idem de iustitia haec habet: « Importat (iustitia) aequalitatem quamdam, ut ipsum nomen demonstrat: dicuntur enim vulgariter ea quae adaequantur, *iustari*: aequalitas autem ad alterum est ».

(2) Ibid. art. 2.

(3) Comm. in 2. 2. disp. V. q. 1. p. 1.

(4) De Iust. et Iure ceterisque virtut. cardin. l. II. c. 2.

(5) In 2. 2. q. 80. art. un.: « Ratio iustitiae consistit in hoc, quod *alteri* reddatur, quod ei *debetur*, secundum *aequalitatem* ». Vide ea, quae diximus vol. 1. pag. 444.

(6) Cf. Card. de Lugo, de Iust. et Iure disp. 1. sect. 1. num. 2. Vide etiam Becanum, tract. de iust. et iure ab init.

ceptio, cum nempe ius sumitur pro potestate, licentia, facultate. Hoc pacto dixit Ovidius de Phaetonte (1): « Currus rogat ille paternos, Inque diem alipedum ius et moderamen equorum ». Item Livius (2): « Saxi materiaeque caedendae, unde quisque vellet, ius factum ». Hoc autem sensu acceptum ius sic definitur a Lessio et de Lugo (3): Ius est *potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem, cuius violatio iniuriam constituit.* Singula vero huius definitionis verba sic Lessius apte et perspicue explicat.

Primo, *est potestas*, i. e. habitudo quaedam ad aliquid, unde dicimur aliquid posse (4). Haec autem se se habet — vel in modum potentiae *activae*, ut quando

---

(1) Met. II. 47. Vide etiam epist. ex Ponto l. III. ep. IV.: « Praecipuum veniae ius habet ille liber ». Et l. IV. ep. IX.: « Mitia ius Urbis si modo fata darent ».

(2) L. V. 55. in fin.

(3) Loc. iam cit. A Suaresio l. c. num. 5., ius tertio hoc sensu acceptum sic definitur : « facultas quaedam moralis, quam unusquisque habet vel circa rem suam vel ad rem sibi debitam. Sic enim dominus rei dicitur habere ius in re et operarius dicitur habere ius ad stipendium, ratione cuius dicitur dignus mercede sua. Et haec significatio vocis huius frequens est non solum in iure, sed etiam in s. Scriptura. — Nam in iure hoc modo distinguuntur ius in re vel ad rem : item iura servitutum, seu iura praediorum rusticorum vel urbanorum, iura utendi vel fruendi, quae late videri possunt apud Brissonium lib. 9. de verb. signif. verb. *ius.* — In Scriptura vero legimus, dixisse Abraham ad filios Heth, Genes. 23., *date mihi ius sepulchri*, id est facultatem sepeliendi, et cap. 31. de Iacob, quando discessit a socero, dicitur tulisse secum omnia, quae iuris sui erant, et similia loca sunt frequentia ».

(4) Ad rem Taparelli, *Saggio teoret. di diritto nat.* dissertaz. 11. c. 3.: « Che cosa intendiam noi con queste parole, *aver diritto*? Intendiamo *avere un potere.* Così chi dice, il padrone ha diritto di disporre del suo, intendiamo che *può* disporne ».

est ius ad aliquid agendum vel retinendum — vel potentiae *passivae*, ut in iure quod habes ut alaris, ut custodiaris, ut tibi serviatur — vel potentiae *resistendi*, ut in iure quod habes, ne quis aedificet tali loco, ne aperiat fenestram in tuum hortum vel aream, ne altius attollat murum, ne officiat tuis luminibus. Ad rem Becanus (1): « Haec *potestas* nihil est aliud, quam habitudo quaedam personae ad rem, in quam ius habere dicitur, et — aliquando habet se per modum potentiae *activae*, ut ius ad aliquid agendum vel percipiendum — aliquando per modum *passivae*, ut ius creditoris ut sibi debitum solvatur, et ius dominorum ut sibi serviatur a famulis, et ius subditorum ut recte gubernentur a principe — aliquando per modum potentiae *resistendi*, ut ius quod quis habet ne aedificet tali loco aut ne fenestram aperiat ».

Secundo, *legitima*, i. e. a lege concessa: quia facultas, quae secundum legem non competit, non est ius, sed vis et iniuria. Lex autem hanc potestatem concedens — vel est *divina naturalis*, ut ad usum membrorum, ad vitam per cibum et potum sustentandam, ad matrimonium ineundum, ad vim vi propulsandam et similia — vel est *humana*, ut ad successionem hereditatis, ad praescribendam vel usucapiendam certo tempore rem alienam, ad acquirendum, possidendum, retinendum, alienandum per varia contractuum genera. Tot enim sunt genera iurium, quot sunt genera legum, quae ius tribuunt: quamvis haec diversitas non faciat diversitatem in ipso iustitiae habitu. — Hinc sequitur hanc potestatem non esse quid *physicum*, sed *morale* dumtaxat (2), competens homini ex

---

(1) L. cit. quaest. II. num. 2.

(2) Hinc Taparelli, l. nunc cit., ita pergit: « Ma quale specie di *potere*? Il ladro che ha in suo *potere* un passeggiero, ha egli *diritto* di ritenerlo? No: la forza fisica, quando è sola, è anzi

aliqua Dei vel hominum ordinatione vel deputatione vel concessione, sicut esse magistrum, doctorem, regem, militem.

Tertio, *ad rem aliquam*, ut ad obtinendum rem aliquam per successionem hereditariam, per testamentum, per donationem liberalem, per contractus, per occupationem.

Quarto, *ad functionem*, ut ad liberum usum membrorum et rerum suarum.

Quinto, *quasi functionem*, ut ad possessionem civilem et naturalem, ad retinendum dominium, statum et conditionem in qua est.

Sexto, *cuius violatio iniuriam constituit*, quia iniuria nihil aliud est, quam alieni iuris violatio. Dicitur autem violari, non quando aliquis privatur suo iure, sed quando iure manente contra illud agitur. Non enim agi potest contra ius quod non est. Unde quando quis privatur officio, quod est ius quoddam, non fit ei iniuria, nisi in ipso aliud ius maneat respiciens illud officium: potest enim esse ius ad ius et dominium iuris (1).

II. Altera huius theseos pars inquirit, quaenam sit iuris ad iustitiam habitudo seu relatio.

---

presso di noi l'opposto del diritto. Il *diritto* è dunque un *potere* indipendente dalla forza, e può esistere diritto senza la forza fisica, come forza fisica senza diritto. Intanto ogni *potere* suppone una *forza*. Se dunque il diritto è un *potere*, conviene che abbia una forza *morale*: giacchè noi conosciamo queste due sole forze in natura, la *fisica* che opera sui corpi, la *morale* che opera sugli spiriti. Aver diritto vuol dunque dire, avere un potere morale, un potere sugli spiriti ».

(1) Becanus. l. c. q. II., eamdem, paucis immutatis, tradit iuris definitionem: « ius est potestas seu facultas legitima ad rem aliquam obtinendam, sive ad usum rei, vel aliquam functionem aut negationem functionis, cuius violatio sine ratione facta iniuriam constituit ». Quorum verborum praeclaram subiicit explicationem.

1.º) Si ius priori modo accipiatur, nimirum pro *lege,* tunc ius est *regula* iustitiae, sicut et ceterarum virtutum. « Ratio est, ait Lessius (1), quia virtutes in suis functionibus debent dirigi secundum praeceptum legum: nisi enim legibus sint conformes, non erunt studiosae nec laudabiles ».

2.º) Si ius secundo sensu sumatur, nimirum pro *iusto*, tunc ius est *obiectum* iustitiae. Vel enim *iustum* accipitur sensu *generali* pro *legitimo*, et tunc est obiectum iustitiae, prout hoc nomine iustitiae comprehenditur saepe et intelligitur totus generatim virtutum complexus: vel *iustum* accipitur sensu *pressiore* pro *aequali*, et tunc est obiectum iustitiae, prout iustitia est specialis virtus a ceteris distincta (2). Est enim id, ut ait de Lugo (3), « quod intendit iustitia et quod dicitur unicuique tribuere ».

---

(1) L. cit. num. 6.

(2) Vide quae de iustitia *generali* et *speciali* sensu accepta diximus super. vol. I. pag. 443. Cf. Suarez, de leg. l. 1. c. 11. num. 4.: « Iustitiae nomen dupliciter accipitur. *Primo,* pro *omni* virtute, quia omnis virtus respicit et facit aliquo modo aequitatem : *secundo,* pro *speciali* virtute tribuente alteri quod suum est ». Hoc idem alii auctores animadvertunt post Aristotelem, qui Ethic. V. 1. fuse id explicat: *Αὕτη μὲν οὖν ἡ δικαιοσύνη οὐ μέρος ἀρετῆς ἀλλ' ὅλη ἀρετή ἐστιν, οὐδ' ἡ ἐναντία ἀδικία μέρος κακίας ἀλλ' ὅλη κακία.* Haec igitur iustitia non pars virtutis est, sed virtus universa, neque contraria iniustitia pars vitii est, sed vitium universum. — Vide etiam cap. 2. *Μέρος γὰρ αὕτη ἡ ἀδικία τῆς ὅλης ἀδικίας, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ δικαιοσύνη τῆς δικαιοσύνης Ὥστε καὶ περὶ τῆς ἐν μέρει δικαιοσύνης καὶ περὶ τῆς ἐν μέρει ἀδικίας λεκτέον, καὶ τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου ὡσαύτως.* Haec enim iniustitia totius iniustitiae pars est, sicut et iustitia iustitiae. Itaque et de ea quae pars est iustitiae et de ea quae pars est iniustitiae dicendum est, itemque de iure et non-iure.

(3) L. cit. num. 2. Cf. s. Thomam, 2. 2. q. 57. a. 1., in quo articulo inquirit, utrum ius sit obiectum iustitiae, et concludit: « Manifestum est, quod ius est obiectum iustitiae ».

3.°) Si ius tertio sensu usurpetur, nempe pro *potestate legitima*, « tunc, ut idem explicat auctor (1), ius est *titulus*, quem iustitia respicit ex parte proximi, ut propter illum titulum velit tribuere ius ipsius, sicut misericordia respicit proximi indigentiam et sicut dulia excellentiam alienam etc. » — Duae hae significationes, altera nimirum ac tertia, sunt correlativae: hinc penes multos (2) nomen obtinuere iuris *passivi* seu *obiectivi* et iuris *activi* seu *formalis*, priori appellatione significando quod debetur, posteriori autem rationem seu titulum debiti seu exigentiae.

7. Scholion. Egimus de potissimis iuris acceptionibus: ab his autem aliae plures dimanant.

Etenim, ut s. Thomas ait (3), « consuetum est, quod nomina a sui prima impositione detorqueantur ad alia significanda. — Sicut nomen *medicinae* impositum est primo ad significandum remedium, quod praestatur infirmo ad sanandum, deinde tractum est ad significandam artem, qua hoc fit; ita etiam hoc nomen *ius* primo impositum est ad significandam ipsam rem iustam, postmo-

---

(1) Ibid. Cf. Gury, de iust. et iure art. 2. : « Nomine *iuris* presse sumpti, et quod ad praesens attinet, intelligitur vel id, quod alteri debetur, *iustumque* dici solet aut *aequale*, et sic est *obiectum*, quod iustitia intendit, quodque ipsa cuique tribuit: vel accipitur pro *titulo*, quem iustitia respicit ex parte alterius, seu propter quem vult suum cuique tribuere, et sic est *potestas ad aliquid* obtinendum aut possidendum ».

(2) Cf. Gury, l. nunc cit. Cf. etiam Card. Zigliara. phil. mor. part. II. ab init.: « Quod est alteri debitum, est ius *obiective* sumptum. Nihil autem alicui debetur, nisi praesupposita in alio facultate illud repetendi: haec facultas moralis, cuius violatio constituit iniuriam, personae competens ad aliquid iuste habendum vel agendum, est ius *subiective* acceptum ».

(3) In 2. 2. q. 57. a. 1. ad 1m.

dum autem est derivatum ad *artem*, qua cognoscitur quid sit iustum. — Et ulterius ad significandum *locum*, in quo ius redditur, sicut dicitur aliquis comparere in iure. — Et ulterius dicitur etiam, quod ius redditur ab eo, ad cuius officium pertinet iustitiam facere, licet etiam id, quod decernit, sit iniquum ».

Hisce verbis tres aliae, ut patet, assignantur acceptiones iuris. — Nimirum 1.°) ius quandoque significat ipsam artem, qua discernitur quid sit iustum, seu ipsam legum et iuris scientiam: quo pacto ius accepit Celsus iurisconsultus (1) inquiens, quod *ius est ars boni et aequi*. — Insuper 2.°) ius adhibetur etiam ad significandum locum, in quo iudicium exercetur seu sententia dicitur, quo sensu Cornelius Nepos (2) dixit de Attico: « In ius de sua re numquam ivit ». — Adhibetur etiam 3.°) ad significandam ipsam sententiam non modo iustam sed etiam iniustam, respectu nempe habito non ad id quod iudex facit, sed ad id quod debet facere. Quam rem sic animadvertit Paulus iurisconsultus (3): « Praetor quoque ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione scilicet facta, non ad id, quod ita Praetor fecit, sed ad illud, quod Praetorem facere convenit ». Haec de variis iuris acceptionibus commemorasse sufficiat (4).

---

(1) L. 1. ff. de Iust. et Iure.

(2) Attic. 6. De qua locutione sic Suarez, l. c. num. 8.: « Apud Latinos *ire in ius*, idem est quod ad Praetorium seu sedem Praetoris ire ». Referam hic nota illa Aristotelis verba, Ethic. V. 4.: Τὸ δ᾽ ἐπὶ τὸν δικαστὴν ἰέναι ἰέναι ἐστὶν ἐπὶ τὸ δίκαιον· ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον δίκαιον ἔμψυχον. Ad iudicem autem ire est ire ad ius: iudex enim videtur esse quasi ius animatum.

(3) L. 1. ff. de Iust. et Iure.

(4) Cum omnes iuris acceptiones clare enumeret de Valentia, iuverit eius verba hic subiicere: « *Primo* iuris vocabulum non accipimus in hac disputatione, ut significat quidquid quovis modo bonum

ARTICULUS II.

De multiplici iuris divisione.

THESIS II.

Secundum varias iuris acceptiones multiplex assignatur eiusdem ratio seu partitio.

8. DECLARATIO. Multiplex est, ut superiore thesi diximus, acceptio iuris: praecipue vero sumitur ius pro *lege,* pro *iusto,* pro *potestate legitima.* Porro secundum diversas has iuris acceptiones, varia quoque est divisio iuris.

I. Si primo modo *ius* accipiatur, id est pro *lege,* tunc, ut patet, easdem prorsus ac lex divisiones admittit.

Itaque ius eo modo acceptum dividitur in *naturale* et *positivum,* positivum autem in *divinum* et *humanum,* humanum vero in *ecclesiasticum* et *civile.* De quibus omnibus cum fuse iam in tractatu de legibus dictum

---

et aequum est, ut ait Paulus iurisconsultus in L. Ius ff. de Iust. et Iure. — Neque *secundo,* ut significat quidquid est legi cuicumque conforme, seu quidquid est legitimum, ut ait Philosophus, Ethic. V. 1. Quo pacto dixit Isidorus, l. V. Etymol. cap. 3., *legem esse quamdam speciem* (id est normam sive ideam) *iuris,* iuxta doctrinam d. Thomae, 2. 2. q. 57. a. 1. ad 2.m — Neque *tertio,* ut significat legitimam facultatem seu potestatem faciendi, aut acquirendi, aut possidendi, aut alienandi quippiam, quomodo iurisperiti distinguunt inter ius ad rem, quae alicui debetur, et ius in re, quam etiam quis possidet. — Neque *quarto,* ut ius significat sententiam ipsam iudicis tum iustam tum etiam iniustam, relatione facta ad id, quod eum iudicare convenit, ut ait Paulus iurisconsultus in dicta L. Ius. — Neque *quinto,* pro loco, ubi sententia dicitur, ut ait idem. — Neque *sexto,* ut significat necessitatem aliquam, ut cognationis vel affinitatis, sicut ait

sit (1), vix aliud de iure hoc sensu accepto restat addendum.

Duo iuverit recolere, quorum alterum spectat ius naturale, alterum vero respicit ius positivum civile. — α) Iuristae, ut iam superius innuimus (2), vocant ius *naturale* tantummodo illud, quod est commune hominibus ac brutis, « quod natura omnia animalia docuit », ut est e. g. liberorum procreatio et educatio. Nos autem ius vel iussum *naturale* appellamus quidquid est ex se consentaneum rationali naturae, ut e. g. religio erga Deum et obsequium erga patriam. Hinc fit, ut quaedam (e. g. religio erga Deum) a Iuristis negentur, a nobis autem itemque a Theologis affirmentur esse de iure naturali: at hic dissensus, ut patet, non est realis, sed tantummodo quoad loquendi modum. — β) Ius *civile* duobus modis, praesertim a Iuristis, usurpari solet. *Primo* accipitur *stricte* pro eo, quod est *proprium* uniuscuiusque civitatis vel status, *secundo* accipitur *late* pro toto illo iure, quo civitas vel status regitur. Iamvero primo modo acceptum ius civile distinguitur a iure naturali. Altero autem modo sumptum ius naturale comprehenditur sub ius civile: siquidem status qui-

---

Martianus iurisconsultus in L. Nonnumquam, eodem titulo. — Neque *septimo*, ut significat idem quod lex, id est dictamen prudentiae, aut naturale aut in habente auctoritatem ad ferendas humanas leges, quod dictamen est norma seu regula boni et iusti : quo pacto ius dividitur in naturale, gentium et civile ab Ulpiano in L. Iuri, eodem titulo. — Neque *octavo*, ut significat quoque ipsam legum et iuris scientiam seu artem : quo pacto accepit hoc nomen Ulpianus in dicta L. Iuris, ubi testimonio Celsi iurisconsulti confirmat, ius esse artem boni et aequi. — Sed accipimus in hac disputatione vocabulum iuris, ut *nono* significat idem, quod *iustum per aequalitatem quamdam unius cum altero* ».

(1) Vide super. vol. 1. num. 94. pag. 249. seqq.

(2) Vide super. vol. I. pag. 281. adnot. 1.

libet regitur non solummodo iure sibi proprio, sed etiam iure naturali, quod plura generatim de societate ipsa civili determinat ac praecipit. Hoc pacto ius civile aliquando dividitur in ius naturale et ius positivum: tunc scilicet altero, de quo diximus, modo ius civile spectatur (1).

II. Sed iam secundo, quem explicavimus, modo ius consideremus, nempe pro *iusto*. Ut autem iuris sic inspecti divisiones intelligantur, illud, quod paulo ante diximus, est recolendum, videlicet tria esse de ratione *iusti*, primo *alteritatem*, secundo *debitum*, tertio *aequalitatem*. « Tria requiruntur, ait Becanus (2): primum ut sit ad alterum: secundum, ut interveniat ratio debiti: tertium, ut constituatur aequalitas ». Quibus positis, en praecipuae *iusti* divisiones.

Divisio I. Iustum dividitur ab Aristotele (3) in iustum *simpliciter* ἁπλῶς δίκαιον et in iustum *quoddam* seu *secundum similitudinem* τι δίκαιον καὶ καθ' ὁμοιότητα. Quam eamdem divisionem s. Thomas (4) adhibet, ubi et ipse distinguit inter simpliciter iustum et quoddam iustum.

Ius seu iustum simpliciter est ius, ut alii loquuntur, *perfectum*, cui scilicet nihil deest ex iis, quae sunt de ratione iusti: perfectum enim est id, cui nihil deest eorum, quae ad ipsum spectant. Atqui ea, quae spectant ad iustum, sunt tria illa, *alteritas*, *debitum*, *aequalitas*. Ergo iustum simpliciter est illud, de quo tres illae conditiones plene verificantur: ius vero illud, cui aliqua ex illis conditionibus desit, dicitur iustum secundum quid seu secundum similitudinem vel etiam ius vocatur *imperfectum*.

---

(1) Cf. Becanum, l. c. cap. I. quaest. III.
(2) De iust. et iure cap. I. quaest. IV. num, 1.
(3) Ethic. V. 6.
(4) In 2. 2. 4 q. 57.a. .

Hinc docent Aristoteles (1) et s. Thomas, iustum *simpliciter* intercedere quidem inter cives: verum inter patrem et filium, dominum et servum, virum et uxorem, quatenus tales sunt, non esse nisi iustum secundum quid seu similitudinarium, ex defectu scilicet plenae *alteritatis*. En verba Angelici Doctoris (2): « Ius sive iustum dicitur per commensurationem ad alterum. Alterum autem potest dici dupliciter. Uno modo quod simpliciter est alterum, sicut quod est omnino distinctum, sicut apparet in duobus hominibus, quorum unus non est sub altero, sed ambo sunt sub uno principe civitatis; et inter tales secundum Philosophum est simpliciter iustum (ἁπλῶς δίκαιον). Alio modo dicitur aliquid alterum, non simpliciter, sed quasi aliquid eius existens: et hoc modo in rebus humanis filius est aliquid patris, quia quodammodo est pars eius, ut dicitur Ethic. VIII. 12. et V. 6. (ὥσπερ μέρος αὐτοῦ), et servus est aliquid domini, quia est instrumentum eius, ut dicitur Politic. I. 2. (ὥσπερ ὄργανον). Et ideo patris ad filium non est comparatio, sicut ad simpliciter iustum, et propter hoc non est ibi simpliciter iustum, sed quoddam iustum, scilicet *paternum*: et eadem ratione nec inter dominum et servum, sed est inter eos *dominativum* iustum. Uxor autem, quamvis sit aliquid viri, quia comparatur ad eum, sicut ad proprium corpus, ut

---

(1) Loc. nup. cit.

(2) Loc. iam cit. In respons. ad 2m haec verba addit: « Filius *inquantum filius* est aliquid patris, et similiter servus *inquantum servus* est aliquid domini. Uterque tamen prout consideratur *ut quidam homo*, est aliquid secundum se subsistens ab aliis distinctum. Et ideo *inquantum uterque est homo*, aliquo modo ad eos est iustitia. Et propter hoc etiam aliquae leges dantur de his, quae sunt patris ad filium, vel domini ad servum. Sed inquantum uterque est *aliquid alterius*, secundum hoc deficit ibi pêrfecta ratio *iusti* vel *iuris* ».

patet per Apost. ad Eph. V., tamen magis distinguitur a viro, quam filius a patre vel servus a domino, assumitur enim in quamdam socialem vitam matrimonii, et ideo, ut Philosophus dicit Ethic. V. 6., inter virum et uxorem plus est de ratione iusti, quam inter patrem et filium vel dominum et servum (μᾶλλον πρὸς γυναῖκά ἐστι δίκαιον ἢ πρὸς τέκνα καὶ κτήματα): quia cum vir et uxor habeant immediatam relationem ad domesticam communitatem, ut patet in Polit. I. 3., ideo inter eos non est etiam simpliciter *politicum* iustum, sed magis iustum *oeconomicum* ». Illud insuper animadverte, quod inter patrem et filium non est solummodo defectus in prima conditione *alteritatis*, verum etiam in conditione illa tertia *aequalitatis*. Neque enim filius patri reddere potest aequivalens, sed quaecumque praestiterit, semper manet debitor (1).

Divisio II. Si spectemus *aequalitatem*, tunc ius dividitur in iustum seu aequale per aequalitatem *arithmeticam* et iustum seu aequale per aequalitatem proportionalitatis *geometricae*.

Iustum per aequalitatem arithmeticam est iustum per aequalitatem rei ad rem, eaque tunc adest, quando unus, e. g. agri dominus, ex bonis sèu divitiis suis dat alteri, v. g. agricolae, tantum quantum ab altero ex bonis ipsius, i. e. ex eius opera atque industria, accepit: huiusmodi autem iustum est proprium obiectum iustitiae illius specialis, quae

---

(1) Cf. Arist. Ethic. VIII. 14. Διὸ κἂν δόξειεν οὐκ ἐξεῖναι υἱῷ πατέρα ἀπείπασθαι, πατρὶ δ' υἱόν· ὀφείλοντα γὰρ ἀποδοτέον, οὐθὲν δὲ ποιήσας ἄξιον τῶν ὑπηργμένων δέδρακεν, ὥστ' ἀεὶ ὀφείλει. Οἷς δ' ὀφείλεται, ἐξουσία ἀφεῖναι· καὶ τῷ πατρὶ δή. Propterea videtur non licere filio abdicare patrem, patri vero filium: reddendum est enim illi qui debet: nihil autem facit, quod cum fecerit sit dignum iis quae accepit, ita ut semper debeat. Quibus vero debetur, iis facultas datur abdicandi: et profecto patri.

dicitur *commutativa.* Iustum vero per aequalitatem proportionalitatis *geometricae* est iustum per aequalitatem rei ad dignitatem seu conditionem personarum, eaque tunc habet locum, quando aliqui, e. g. milites, post partam victoriam recipiunt minus boni vel plus, quo minor vel maior est ipsorum dignitas seu conditio, e. g. prout quis est simplex miles vel centurio vel dux supremus, ita ut eamdem illam proportionem, quam secundum dignitatem habent personae, quibus res distribuuntur, habeant etiam res, quae ipsis distribuuntur: huiusmodi autem iustum est proprium obiectum iustitiae illius specialis, quae vocatur *distributiva* (1).

Quae ut melius intelligas, haec accipe ex Silv. Mauro (2): « Iustitia *distributiva* debet distribuere bona communia aequaliter aequalitate proportionalitatis *geometricae*, per quam ita se habeant secundum aestimabilitatem res, quae distribuuntur, sicut se habent secundum dignitatem personae, quibus distribuuntur: adeoque *iustum* intentum a iustitia distributiva est iustum secundum aequalitatem proportionis *geometricae* (3), *iniustum* est, quod non est secundum aequalitatem, sed vel excedit vel deficit. E converso licet etiam iustitia *commutativa* debeat facere, ut contrahentes habeant *aequum*, adeoque iustum ab ipsa intentum sit quoddam aequum, iniustum sit quod-

---

(1) Vide quae super. vol. I. pag. 444. diximus de partibus *subiectivis* iustitiae: haec nempe dividitur in *generalem* seu *legalem* et *particularem*, quae altera subdividitur in *commutativam* et *distributivam*. Vide etiam pag. 224.

(2) Comm. in l. Ethic. V.

(3) Tale servatur *iustum* quando (ut maneamus in exemplo allato de militibus post partam victoriam) posito quod miles, cuius dignitas est ut 2, accipiat 3 aureos, alter miles, cuius dignitas est ut 4, accipit 6, alius cuius dignitas est ut 8, accipit 12, et ita porro.

dam iniquum, adhuc hoc aequum non consistit in aequalitate proportionalitatis *geometricae*, sed in aequalitate *arithmetica*. Explicatur (1). Ut sit iusta et aequalis distributio, non quantum arithmetice accipit unus, debet accipere alter. Neque enim si duplo dignior accepit viginti, duplo minus dignus debet accipere viginti. E c nverso in commutationibus quantum arithmetice accepit unus, tantum debet accipere alter. E. g. si Callias accepit decem ex bonis Socratis, Socrates debet accipere decem ex bonis Calliae, atque in hoc non est consideranda dignitas personarum. Neque enim si Callias duplo dignior accepit decem ex bonis Socratis, Socrates duplo minus dignus debet accipere solum quinque ex bonis Calliae, sed debet accipere tantumdem. Ut igitur ponatur aequalitas in contractibus et actionibus, non consideratur, utrum personae contrahentes sint aequales vel inaequales, bonae vel malae, puta utrum qui accepit ex bonis alterius sit bonus vel malus, utrum qui commisit adulterium sit bonus vel malus, sed pure consideratur nocumentum illatum, personae vero

---

(1) En ipsa verba Aristotelis, Ethic. V. 4., quorum explicationem Maurus affert : *Τὸ δ' ἐν τοῖς συναλλάγμασι δίκαιον ἐστὶ μὲν ἴσον τι, καὶ τὸ ἄδικον ἄνισον, ἀλλ' οὐ κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἐκείνην ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀριθμητικήν. Οὐθὲν γὰρ διαφέρει, εἰ ἐπιεικὴς φαῦλον ἀπεστέρησεν ἢ φαῦλος ἐπιεικῆ, οὐδ' εἰ ἐμοίχευσεν ἐπιεικὴς ἢ φαῦλος· ἀλλὰ πρὸς τοῦ βλάβους τὴν διαφορὰν μόνον βλέπει ὁ νόμος, καὶ χρῆται ὡς ἴσοις, εἰ ὁ μὲν ἀδικεῖ ὁ δ' ἀδικεῖται, καὶ εἰ ἔβλαψεν ὁ δὲ βέβλαπται. Ὥστε τὸ ἄδικον τοῦτο ἄνισον ὂν ἰσάζειν πειρᾶται ὁ δικαστής.* Iustum vero in contractibus (iustum intentum a iustitia commutativa) est sane aequale quiddam, et iniustum inaequale, at non secundum proportionem illam (geometricam), sed arithmeticam. Nihil enim refert, utrum vir bonus malum suo privaverit an malus bonum, neque utrum adulterium commiserit bonus an malus: sed damni differentiam tantum spectat lex, et utitur tamquam aequalibus, si hic iniuria afficit, ille afficiatur, et si laedat, ille vero laedatur. Itaque iniustum hoc, quod est inaequale, aequare conatur iudex.

sumuntur ut aequales, non habendo rationem inaequalitatis, et quantum est nocumentum quod unus attulit alteri, tantumdem debet ipsi recompensare. *Iniustum* igitur est inaequalitas, per quam ex contractibus et actionibus alter habet arithmetice plus, alter arithmetice minus: *iustum* consistit in aequalitate, per quam neuter habet plus aut minus, sed uterque arithmetice aequum: et cum contractus sunt iniusti et inaequales, debet iudex illos corrigere ac redigere ad aequalitatem arithmeticam ». Hisce verbis apte explicatur, qua in re iustum intentum a iustitia commutativa differat a iusto intento a iustitia distributiva (1).

Divisio III. Iustum, praesertim commutativum, distinguitur in iustum *naturale* et iustum *ex condicto* seu *positivum*.

Hanc tertiam divisionem tradit s. Thomas (2) hisce verbis: « Ius sive iustum est aliquod opus adaequatum alteri secundum aliquem aequalitatis modum. Dupliciter autem potest alicui homini esse aliquid adaequatum. — Uno quidem modo *ex ipsa natura rei*, puta cum aliquis tantum dat, ut tantumdem recipiat, et hoc vocatur *ius naturale*. — Alio modo aliquid est adaequatum vel commensuratum alteri *ex condicto* sive ex communi placito, quando scilicet aliquis reputat se contentum, si tantum accipiat. Quod quidem fieri potest dupliciter. Uno modo per aliquod *privatum* condictum: sicut quod firmatur aliquo pacto inter privatas personas (3). Alio modo ex

---

(1) Cf. Lessium, de Iust. et iure c. 1. dubit. 4.

(2) In 1. 2. q. 57. a. 2.

(3) Sic apud Matth. loc. paulo ante cit. v. 13., paterfamilias operario murmuranti dixit: « Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est et vade ».

condicto *publico*: puta cum totus populus consentit, quod aliquid habeatur quasi adaequatum et commensuratum alteri, vel cum hoc ordinat princeps, qui curam populi habet et eius personam gerit. »

Sic v. g. ius vel iustum *naturale* reddit quis alteri, cum pro modio tritici, quem ab eo accepit, tantumdem tritici ei reddit. Ius autem vel iustum *positivum* reddit quis alteri, cum pro tritico aut alia re venali ab eo accepta dat ei certam illam pecuniae summam, quam lex civilis determinat tamquam aequivalens seu commensuratum rei illius pretium (1).

III. Ius demum tertio modo consideremus, scilicet pro *potestate legitima* aliquid faciendi, exigendi vel retinendi. In iure sic accepto haec quinque distingui debent, nimirum — *principium* a quo potestas illa procedit — *materia* circa quam eadem versatur — *titulus* propter quem in hac vel illa persona, tamquam in subiecto, actuatur — *subiectum* in quo residet, i. e. ipse iuris possessor — *terminus* quem potestas illa respicit, illa nempe persona, quae tenetur potestatem in altero existentem revereri seu se se illi submittere, practice eam recognoscendo (2).

Divisio I. Spectemus *principium* a quo ius procedit. Huiusmodi principium, ut iam diximus in thesi praece-

---

(1) Cf. de Valentia de iust. q. 1. punct. 2.

(2) Cf. Taparelli, *corso element. di nat. diritto* l. 2. c. 3. num. 69.: « Sono nel diritto i cinque seguenti elementi: 1°. l' *ordine* da cui nasce: 2°. *materia* a cui si applica: 3°. *titolo* per cui si applica: 4°. *persona* che lo possiede: 5°. *persona*, che ne riceve l'impressione. Dissi *persona* sì il possessore sì il termine del diritto, perchè un essere, che non abbia intelletto, non potendo conoscere l' ordine, non puó nè anche conoscere o diritto o dovere che ne deriva. »

dente et ex iuris definitione (potestas *legitima*) patet, est *lex*. Haec enim est, quae dum uni persone (*subiecto* iuris) tribuit potestatem faciendi aliquid aut exigendi aliquid tamquam sibi debitum, simul aliis (*termino* iuris) imponit obligationem non impediendi id, quod subiectum iuris facere vult. aut etiam positive praestandi id, quod subiectum iuris potest exigere.

Lex autem est duplex, naturalis alia, aliá positiva. Hinc etiam potestas alicui facta seu ius est duplex, aliud *naturale*, aliud *positivum*, prout videlicet a lege naturali confertur vel a lege positiva. Porro lex positiva vel divina est vel humana, haec autem vel ecclesiastica est vel civilis: hinc ius etiam positivum subdividitur in divinum et humanum, humanum autem in ecclesiasticam et civile, prout potestas a lege divina vel humana, ecclesiastiea vel politica conceditur.

Constat ex dictis, per *ius naturale* et *positivum* intelligi aliud et aliud, prout ius sumitur vel in prima acceptione pro *lege*, vel in secunda pro *aequali*, vel in tertia pro *potestate*. Ius nempe naturale vel positivum in prima quidem acceptione est idem ac lex naturalis vel positiva: in altera autem acceptione est idem ac iustum ex ipsa natura rei vel ex condicto, ut s. Thomas loquitur: in tertia demum acceptione est idem ac potestas concessa a lege naturali vel positiva (1).

Divisio II. Spectemus nunc *materiam*, eirca quam ius versatur. Ius potest circa duo versari, videlicet aut circa *actiones* subditorum in bonum ipsorum seu totius communitatis ordinandas aut circa *res*, vel quasi res (2)

---

(1) Cf. Becanum, de iure et iust. cap. I. q. III. num. 1.

(2) Addimus has voces, *quasi res*. Etenim, ut Becanus habet, loc. nup. cit. q. V. num. 6.: « nomine *rei* non tantum intelligimus

in proprium bonum seu commodum adhibendas. Si primum, habemus ius *iurisdictionis*, quod definitur potestas legitima Superioris gubernandi subditos, h. e. praecipiendi, vetandi, permittendi, iudicandi, puniendi etc., et sic in *commune* bonum subditos dirigendi. Sin alterum, ius habetur *proprietatis*, seu potestas legitima disponendi de re aliqua in *proprium* commodum.

Porro ius proprietatis duplex distinguitur, nempe aliud *in re*, aliud *ad rem*. Ius *in re* tunc adest, cum quis habet rem ipsam sibi immediate devinctam seu obligatam: tunc vero adest ius *ad rem*, cum quis habet potestatem sibi obligandi rem, i. e. cum quis nondum habet ipsam rem sibi immediate devinctam et obligatam, sed alterius potius personam ad rem aliquam sibi tradendam. Hinc ius *in re* tribuit vindicationem rei seu actionem *realem* in rem ipsam, quae potest, quocumque devenerit, a iuris subiecto repeti ac vindicari: ius *ad rem* tribuit tantummodo actionem *personalem* in personam, quae existens subiecto iuris obligata ad aliquid tradendum, abnuit seu impedit rei ipsius acquisitionem (1). — Sic ex Iure

---

res *corporales*, quae tangi possunt, ut equum, vestem, domum, aurum, argentum, sed etiam res *incorporales*, quae solum intellectu percipiuntur, cuiusmodi sunt iura ad aliquid, ut v. g. ius adeundi hereditatem, ius fruendi aut utendi re alterius, ius viae per agrum alienum, ius mittendi stillicidium alicuius domus super alienam domum et similia. Haec enim iura computantur inter res incorporales, ut habetur institut. de rebus corporal. et incorporal. »

(1) Cf. Gury-Ballerini, tract. de Iust. et Iure ab init.: Struggl, tract. de Iure et virtute Iust. q. I. a. 1. — Actio *realis* seu in rem et actio *personalis* seu in personam sunt duae species actionis *iudicialis*. Actio realis datur, quando quis propter ius *in re* potest in iudicio exigere immediate ipsam rem sibi obligatam, eaque appellari solet *vindicatio rei*. Actio vero personalis datur, quando quis propter ius solum *ad rem* potest in iudicio agere in personam sibi ex aliquo, qui praecessit, contractu vel delicto obligatam.

Romano « emptor, ut explicat Becanus (1), non habet ius *in re* circa equum, pro quo pretium persolvit, quamdiu equus non est illi traditus, habet tamen ius *in rem*. Unde si venditor eumdem equum alteri vendat et simul tradat, hic secundus emptor acquiret ius *in re*, nec tenebitur equum tradere priori emptori (2). Et ratio est, quia prior emptor non habet ius *in re*, sed tantum ius *ad rem*, et posterior acquisivit sibi ius *in re*. Ergo non res vendita, sed venditor ipse est obligatus priori emptori. Ac proinde priori emptori non conceditur actio *realis* in rem, quae iam alterius effecta est, sed actio *personalis* in venditorem, qui tenetur cum ipso componere.»

Rursus autem ius in re seu dominium proprietatis (dominium enim est ius *in re* et non praecise *ad rem*) dividitur in dominium *perfectum* seu plenum et dominium *imperfectum:* imperfectum vero dividitur in *directum* et *utile:* utile tandem a Theologis et Iurisconsultis pro varietate utilitatis subdividitur in decem species, nempe in *usum*, *usumfructum*, *habitationem*, *emphyteusim*, *feudum*, *libellum*, *pignus*, *hypothecam*, *servitutem*, *possessionem*. — Haec utiliter, ut videtur, iam hic innuuntur: suis autem locis evolventur, nempe ubi agemus de dominio proprietatis, quae est quaestio ad ius individuale pertinens, deque dominio iurisdictionis, quae disputatio spectat ad ius sociale.

Divisio III. Spectemus tertio loco *titulum*, propter quem ius in hac vel illa persona, tamquam in subiecto, residet. Iuris titulus seu fundamentum est factum aliquod, cuius intuitu vel cuius ratione lex uni quidem personae tribuit potestatem aliquid faciendi, exigendi vel retinendi, alteri vero personae imponit debitum seu obli-

(1) Loc. nuper cit. num. 2.

(2) Ita habetur L. Quoties C. de rei venditione.

gationem aliquid permittendi, reddendi aut non auferendi.

Hoc porro factum vel est ipsa hominis natura et existentia, vel est aliquid naturae iam in suo esse constitutae accedens eamque in individuo determinans. Hinc autem oritur divisio iurium in *congenita* et *acquisita*. Priora sunt illa, quae lex confert homini simpliciter quatenus et quia homo est, sive eo ipso quod naturam habet humanam: qualia sunt ius tendendi in ultimum finem, ius ad vitae conservationem, ius ad sui perfectionem, ius independentiae in licito suarum facultatum exercitio, ius defensionis, ius acquirendi sibi stabile dominium proprietatis etc. Haec iura nascuntur cum ipso homine, in eoque necessario reperiuntur ex solo nativitatis facto: hinc merito *congenita* vocantur. Posteriora vero sunt illa, quae lex tribuit alicui ob specialia facta vel personalia adiuncta seu ob particularem statum vel conditionem, in qua homo ille reperitur: qualia sunt iura, quae licitum propriae activitatis exercitium praesupponunt, vel etiam illa, quae alterius actionem consequuntur, e. g. actuale dominium proprietatis in hunc agrum vel in hanc domum ex facto occupationis vel hereditatis exsurgens. — Iura congenita dici etiam solent *innata*, *absoluta*, *primitiva* vel *naturalia*: iura autem acquisita vocantur etiam *adventitia*, *hypothetica*, *secundaria* vel *positiva*.

Porro iura haec, sive congenita sive acquisita, se habent dupliciter. Quaedam enim sunt ipsi subiecto iuris necessaria ad aliquam, qua tenetur, obligationem implendam: quale est e. g. in patre ius ad obedientiam filiorum, quod scilicet ius est patri necessarium ad implendum naturale officium, quo adstringitur, convenientem filiis educationem praebendi. Sunt autem alia iura, quae non sunt ad aliquam obligationem implendam subiecto iuris necessaria: quale e. g. est ius postulandi a iudice

civili ut puniatur ille qui iniuriam irrogavit, vel ius proprietatis in domum vel frumentum. — Iamvero prioris generis iura sunt necessarii seu *obligatorii* exercitii, secus ac alterius generis iura, quae sunt *liberi* exercitii. Rursus prioris generis iura sunt *inalienabilia:* i. e. eorum iurium subiectum nequit ea *facere aliena* (haec enim est vis verbi, *alienare*) seu in alios transmittere, ita ut eorumdem subiectum esse desinat. Quemadmodum enim nequimus obligationes, quibus legitime tenemur, transgredi, sed debemus eas implere; ita debemus servare iura, quae ad eas implendas sunt media vel instrumenta necessaria, nec proinde possumus nosmetipsos iis iuribus spoliare (1). Alterius vero generis iura sunt *alienabilia* i. e. aliena fieri queunt. Sic possum in alium transferre ius proprietatis in agrum vel frumentum: quod si faciam, iam non sum iuris illius subiectum, sed contra terminus fio iuris in altero existentis. Ex quibus satis patet divisio iurium in *alienabilia* vel *inalienabilia,* quae sic vocantur, prout ipsa iura fieri aliena possunt vel secus.

Divisio IV. Sed ipsum iam iuris *subiectum* consideremus. Subiectum iuris est persona illa, in qua residet potestas moralis inviolabilis seu ius. — Consulto dixi *personam* nempe hypostasim seu suppositum rationale (2). Nam subiectum iuris est eo ipso terminus obligationis: ad eum nempe, in quo ius inest, alii habent morale debitum seu officium. Atqui morale debitum seu obligatio-

---

(1) « Quando un dritto è stromento necessario per compiere un dovere, sarà dritto *inalienabile:* giacchè chi l'alienasse, si porrebbe in necessità di violare il dovere. » Ita Taparelli, *corso elem. di nat. diritto* l. 1. c. 3. num. 69.

(2) Ens per subsistentiam completum vocatur *suppositum:* quod si suppositum ratione sit praeditum, appellatur *persona,* eiusque subsistentia dicitur *personalitas.*

nonnisi ad personam seu ad ens intelligens haberi potest (1), ut de *officio* agentes magis explicabimus.

Quoniam vero duplex distinguitur persona, *physica* seu individuum et *moralis* seu plurium hominum in societatem congregatio, hinc fit, ut ius distinguatur in illud, cuius subiectum proprium est persona aliqua physica et in illud, cuius subiectum est persona aliqua moralis. In primo casu ius habetur *individuale*, in altero autem casu *sociale*. Sic v. g. ius proprietatis tum in individuo residere potest, tum etiam in humana societate qua tali: in priori casu ius proprietatis dicitur dominium *privatum* seu *individuale*, in altero casu *publicum* seu *sociale*.

Hic autem animadverte, eum etiam, qui rationis usu careat, posse aliquibus pollere iuribus seu eorum esse subiectum. Qua in re discrimen exstat inter *officium* et *ius*. Etenim ad hoc, ut quis adstringatur officio, oportet ante omnia ut officium cognoscat: siquidem voluntas nequit obligari, nisi per legem ei ab intellectu propositam atque applicatam. Ad hoc ergo ut quis officio teneatur, rationis in eo usus praerequiritur. Verum ad hoc ut quis iure sit instructus, necesse solum est, ut ceteri cognoscentes legem, quae moralem illi potestatem confert, teneantur traditam illi potestatem non impedire, immo practice eam revereri. — Itaque haec duo sunt inter se distinguenda, *ipsum ius* et *iuris exercitium:* ad hoc alterum usus rationis praerequiritur, non vero ad illud primum (2).

---

(1) Ad rem Taparelli, *saggio teoret.* dissert. II. cap. III.: « Diremmo noi con termine *proprio*, che il tremuoto ha diritto ad atterrare le case, o che il lupo ha diritto a divorare le pecore? Certo che no: dritto è voce di ordine morale e però non ha luogo se non fra esseri intelligenti ».

(2) Hinc idem auctor, l. c., sic pergit: « Nè basta che abbiano il principio di ragione a potere *esercitare* un dritto (ipsum ius et

Divisio V. Ipsum tandem iuris *terminum* inspiciamus. Terminus iuris est persona, quam ius respicit, quaeque morali tenetur obligatione, ne ius in alio existens violet. — Dixi rursus *personam*. Etenim terminus iuris est simul subiectum verae ac propriae obligationis *moralis*. Atqui subiectum verae et propriae obligationis *moralis* non est nisi ens libertate praeditum, ac proinde intelligens seu persona: libertas enim supponit intelligentiam, a qua scilicet pullulat.

Hinc rursus cum persona distinguatur duplex, *physica* et *moralis*, ius distingui potest in illud, cuius immediatus terminus est persona physica, et in illud, cuius terminus directe est persona moralis seu communitas. Sic prout quis proximi vitae vel communitatis incolumitati consuluit, ius erga individuum vel societatem directe acquirit ad convenientem praemii retributionem.

Postremam hanc iurium divisionem innuit Aristoteles (1) hisce verbis: Distinguuntur autem iusta et iniusta (seu iura et iniuriae) tum respectu ad duas leges (en divisio a nobis primo loco posita, iuris nempe naturalis et positivi, prout ius ducit principium a naturali lege vel positiva), tum *ratione eorum ad quos referuntur*, dupliciter. *Ὥρισται δὴ τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα πρός τε νόμους δύο, καὶ πρὸς οὓς ἐστι, διχῶς.*

---

iuris exercitium sunt sane inter se distinguenda): il pazzo operante da pazzo non *esercita* dritto alcuno, *benchè possa realmente averlo*, come ha realmente il principio della ragione senza averne l'esercizio. Il dritto è dunque secondo le nostre idee proporzionale alla ragione: chi ha la ragione può aver dritto, chi ha l'uso della ragione, può aver l'uso del dritto.» Cf. Tongiorgi, Eth. particul. num. 336.

(1) Rhetor. I. 13. Cuius rei paulo post affert hoc exemplum: *Ὁ γὰρ μοιχεύων καὶ τύπτων ἀδικεῖ τινα τῶν ὡρισμένων, ὁ δὲ μὴ στρατευόμενος τὸ κοινόν.* Qui enim adulterium facit et verberat, unum aliquem certum laedit, qui vero militiam detrectat, ipsum commune.

9. Scholion. Post traditas multiplices iuris acceptiones ac partitiones iuverit pauca subiicere de *iniuria*. — « Iniuria, inquit Ulpianus (1), ex eo dicta est, quod non iure fiat : omne enim, quod non iure fit, iniuria fieri dicitur, hoc *generaliter*. *Specialiter* autem iniuria dicitur contumelia etc. » Itaque vox haec *iniuria*, quemadmodum vox ei affinis *iniustitia*, modo *generaliter*, modo *specialiter* usurpatur. Generaliter definitur iuris alieni violatio: quae violatio habetur, sive laedatur ius illud, quod est obiectum iustitiae *generalis* seu legalis, sive laedatur ius illud, quod obiectum est iustitiae *particularis distributivae* vel *commutativae*. Specialiter autem iniuria est laesio iuris seu iusti illius, quod est proprium iustitiae *commutativae* obiectum. Et merito quidem : siquidem in hoc iure seu iusto, in hac iustitia commutativa plenius inveniuntur tria illa (*aequalitas debitum alteritas*), quae de notione iuris sunt, de conceptu sunt iustitiae. Hinc iustitia commutativa communius simplici nomine iustitiae intelligitur. Quae omnia satis sunt ex dictis manifesta.

Iniuriae autem hae sic praecipue dividuntur. — 1.° Aliae sunt in bonis fortunae, aliae in bonis famae et honoris, aliae in bonis vitae et corporis. Iniuriae in bonis fortunae sunt *furtum*, i. e. occulta ablatio rei alienae, domino rationabiliter invito (2): *rapina*, i. e. ablatio rei alienae per vim seu violentiam facta (3): *simplex damnificatio*, quae contingit, quando domino rationabiliter invito aliquod infertur damnum, quin damni illator aliquid sibi

---

(1) Dig. 47. tit. 10. *qui est* de iniuriis l. 1.

(2) Ita s. Th. 2. 2. q. 60. a. 3.

(3) In rapina, praeter iniuriam *realem*, per vim infertur etiam iniuria *personalis*. Sic enim dividuntur iniuriae, in *reales* quae alteri inferuntur in bonis extrinsecis, et *personales* quae directe inferuntur alterius personae.

accipiat, secus ac evenit in furto et rapina. Iniuriae in bonis famae et honoris sunt *detractio*, i. e. laesio iniusta famae seu bonae existimationis, quam habent homines de vita, moribus aliisve dotibus alicuius: *contumelia*, i. e. laesio iniusta honoris alteri debiti : *iudicium temerarium*, i. e. firma sententia de malitia alterius, levibus tantum motivis innixa. Iniuriae autem in bonis vitae et corporis sunt praecipue *occisio*, *mutilatio* et *verberatio*. — 2.º Hae porro iniuriae *graves* sunt vel *leves*, prout ex iis proximus grave patitur damnum, vel tantum leve: *formales* sunt vel *materiales*, prout scienter vel voluntarie fiunt, aut absque cognitione et consensu: voluntariae *in se*, vel voluntariae *in alio*, vel solum *permissae*, prout directe seu expresse intenduntur, vel intenduntur indirecte seu in causa, vel mere permittuntur.

Sed de iniuriis plura suis locis trademus, praesertim de onere quod inducunt et imponunt *redintegrationis* seu *restitutionis*. Duabus tantummodo quaestionibus brevem addemus responsionem. — Quaeri *primo* potest, utrum iniustitia, nocumentum, damnum, offensa sint omnino idem ac iniuria. Respondemus α) *iniustitiam* et *iniuriam* communiter confundi. Et merito. Quemadmodum enim iustitia est adaequatio iuris alieni, ita iniustitia est iuris alieni laesio: sed laesio iuris alieni dicitur iniuria; iniustitia ergo et iniuria idem esse videntur. Nihilominus, plures docent auctores (1), iniustitiam potius accipi pro laesione *activa* alieni iuris, iniuriam vero accipi pro laesione *passiva*.

---

(1) Ita Struggl, l. cit. q. VII. a. 1. Eadem scilicet iniqua actio in ordine ad *agentem* dicitur *iniustitia*, in ordine ad *patientem iniuria:* sic. e. g. fur dicitur perpetrare ipse iniustitiam et inferre alteri iniuriam.

Manifeste autem β) *nocumentum* itemque *damnum* (1) atque *iniuria* valde differunt. Nam nocere vel damnum inferre modo quidem illicitum est, modo vero licitum, e. g. licet nocere hostibus in bello iusto: at semper illicitum est inferre alteri iniuriam. Demum γ) *offensa* latius patet quam *iniuria*. Offensa enim est id, quo aliquis fit rationabiliter alienus et inimicus. Hoc autem contingere potest etiam sine laesione stricti iuris (2). Si e. g. amico flagitanti commodato equum, quo tu carere facile ad tempus potes, ille vero valde indiget, firmiter denegas, offensam ei infers, non tamen iniuriam, quia nullum eius ius laedis. — Quaeri *secundo* potest, utrum verum sit effatum illud, *scienti et volenti non fit iniuria*. Affirmative respondeo, quia volens cedit e iure suo: hinc domino, qui libere consentit in combustionem sui libri, iniuriam non facio librum comburendo. Duo tamen animadverte. Requiritur α) ut cessio iuris sit voluntaria omnino et libera: quod non verificatur in casu consentientis ex errore, metu aut necessitate, quo scilicet in casu consensus est involuntarius, saltem *secundum quid*, nec proinde omnino liber. Insuper β) ii casus sunt excipiendi, in quibus homo quantumvis volens ius

---

(1) Iuxta Varronem, 4. L. L. 36., « damnum a *demptione*, cum minus re factum, quam quanti constat. » Sic damnum fit per furtum, detractionem, mutilationem etc.: *demuntur* enim a proximo divitiae, bona existimatio, corporis integritas. Cf. s. Th., 2. 2. q. 58. a. 11.: « Omne superfluum in his, quae ad iustitiam pertinent, *lucrum* extenso nomine vocatur, sicut et omne, quod *minus* est, vocatur *damnum*. »

(2) Ad rem Struggl, Theol. mor. tract. VI. q. VII. a. 1. num. 1.: « *Iniuria* a *simplici offensa* differt per hoc, quod iniuria sit laesio *iuris* alieni, simplex offensa vero sit solum laesio *beneplaciti* alieni seu irritatio voluntatis alienae, qua quis alteri contra eius voluntatem molestiam infert, et quasi ius aliquod tribuit ad iram, quin tamen aliqnod ius proprietatis laedat. Ita communis Doctorum. »

suum cedere nequit: hinc qui bona aufert pupilli, licet cum eius consensu, iniuriam infert pupillo, qui scilicet valide et efficaciter cedere iuri suo nequit.

ARTICULUS III.

De notione officii eiusque divisionibus.

Thesis III.

Officium est morale debitum agendi aliquid aut aliquid omittendi in alterius auxilium vel obsequium. Multiplex autem est ac varia officii partitio.

10. Declaratio. Duo illa, quae de *iure* deteximus, sunt etiam de *officio* inquirenda, videlicet — quaenam sit vera eius notio — et quaenam sint praecipuae eiusdem partitiones.

I. Haec vox *officium* est a verbo *officio* (1). Verbum autem *officio* (ex *ob* pro *obviam* et *facio*) proprie est facio me obviam alicui impediendi et obsistendi causa (2): in malam enim partem semper accipitur. Hoc pacto eleganter dicimus, aemulum suis dolis insidiisque officere et obstare nostris consiliis, susceptis, commodis etc.

Iamvero eruere exinde possumus notionem *officii*, illud primo loco animadvertentes, quod cum verbum *officio*

---

(1) Cf. Forcellini lex. in h. v.

(2) Pulchre Cicero, Tuscul. disp. V. 32.: « Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset, Nunc quidem paululum, inquit, a sole: *offecerat* videlicet apricanti. » Et l. II. de Nat. D. 19.: « Umbra terrae soli *officiens* noctem efficit. »

in malam, ut iam diximus, partem sumatur, contra nomen *officii* inde derivatum in bonam semper partem accipitur. Itaque officium, si spectetur *in concreto*, est aliquid agendum aut omittendum auxiliandi alicui vel ei obsequendi causa: sin autem consideretur *in abstracto*, est morale debitum seu moralis obligatio agendi aliquid aut aliquid omittendi ut alteri auxilium vel obsequium impendatur. Hinc elegantes sunt hae locutiones, exsequi officia, implere officii sui partes, meminisse officium suum, deesse officio, officii ducere facere aliquid vel dicere.

Officium *in concreto* spectatum fere idem est ac *iustum* (in secunda *iuris* acceptione): et officium in *abstracto* consideratum fere idem est ac *obligatio moralis*. Hoc discriminis has inter voces esse videtur, quod officium *in concreto* inspectum exhibet *debitum* et *alteritatem* potius, quam *aequalitatem*, contra *iustum* dicit *aequalitatem* potius quam *debitum et alteritatem*: officium autem sumptum *in abstracto* exhibet *alteritatem* magis, quam eamdem exhibeat in suo conceptu *moralis obligatio*.

II. Ex tradita officii notione pronum omnino est praecipuas eius partitiones detegere. Aliae scilicet et aliae exsurgunt divisiones, prout in officio consideratur — vel *radicaliter* id, a quo officium procedit — vel *formaliter* id, in quo officium consistit — vel *materialiter* illud, quod est ex officio praestandum — vel *relative* persona illa, in cuius bonum debet officium persolvi.

Divisio i. Ac primo quidem spectemus in officio id, a quo *virtualiter* morale debitum procedit, seu ipsum consideremus *principium* officii. — Huiusmodi principium est *lex*. Cum autem lex distinguatur duplex, naturalis nempe et positiva; hinc duplex etiam distinguitur officium, *naturale* scilicet et *positivum*, prout a naturali lege procedit vel imponitur a lege positiva. Sic e. g. naturale est officium colendi Deum, honorandi parentes: positi-

vum est officium servandi tali die ieiunium, talem pecuniae summam principi in tributum solvendi.

Quae porro differentiae legem inter naturalem et positivam intercedunt, eaedem, ut patet, intersunt officia inter naturalia et positiva. De quibus differentiis cum iam in superiore parte actum sit, nihil est hoc loco addendum. Illa praesertim recolantur principia, quae statuimus circa quaestionem de *rigore* seu *lenitate* obligationis legis naturalis et positivae, atque consequenter etiam officii (1): utrum officium sit ex obligatione implendum tunc etiam, quando cum eius custodia coniunctum sit periculum vitae vel alterius gravis nocumenti (quale est magna infamia vel ingens divitiarum iactura), an vero huiuscemodi gravis nocumenti periculum excuset ab obligatione officii implendi. Dixi *gravis:* neque enim dubium seu quaestio esse potest de quocumque parvi etiam momenti malo. « Si enim, ut recte animadvertit Liberatore (2), quodvis malum imminens (puta, levis calumnia, parva bonorum amissio, contemptus nonnullorum) ab implendis officiis nos excusaret; non solum libero virtutum exercitio, sed omni plane morum honestati valedicendum esset. In praesenti enim vitae statu (adiecta praesertim improborum malitia) fere impossibile est virtutis exercitium sine societate nonnullorum malorum. »

Divisio II. Sed iam officium spectemus *formaliter:* nempe in officio consideremus ipsum morale debitum, in quo consistit. — Morale debitum, quod lex alicui imponit, vel respondet iuri in altero existenti, vel non. Si non respondet, tunc debitum seu officium dicitur *pure*

---

(1) Cf. vol. I. num. 145. pag. 128 seqq.

(2) Ius nat. part. 1. c. 1. a. 3., de necessitate eximente ab officio.

morale: si respondet, *iuridicum* appellatur. Sic e. g. iuridicum vocatur officium restituendi depositum: officium autem largiendi pauperi eleemosynam dicitur pure morale. Quamvis enim lex imponat diviti obligationem subveniendi pauperibus, non tamen his confert verum propriumque ius pecuniam a divite exigendi ut *suam* (1). Hinc officium eleemosynae erogandae quamvis latiori sensu dici possit iuridicum, i. e. legitimum seu a lege impositum, sumpto nimirum vocabulo *ius* in prima illa, de qua diximus, acceptione, ut nempe est synonimum *iussi* seu *legis;* non tamen dici potest iuridicum, vocabulo *ius* sensu magis proprio accepto pro facultate seu potestate legitima aliquid exigendi ut suum. — Hoc autem discriminis intercedit inter officia iuridica et pure moralia, quod is, qui prioris generis officia non implet, inferat iniuriam, violet iustitiam: non autem is, qui alterius generis officia non servet. Sic dives, qui cum possit stipem dare egeno, eam denegat, inhumanus dicitur vel avarus, non tamen iniustus: pauperem sane *offendit*, non tamen *iniuria* afficit; discrimen autem est, ut diximus, inter *simplicem offensam* et *iniuriam*. Contra iniustus vocatur, qui tempore debito depositum non restituit: siquidem ita se se gerens et offensam domino et iniuriam affert. Quare haec etiam altera tradi potest definitio officii *iuridici:* est illud, cuius violatio non modo est offensa, sed etiam iniuria est alteri illata, est etiam vera iniustitia in alterum perpetrata.

Porro iniustitia, quemadmodum iustitia, multipliciter

---

(1) Quandonam aliquid dicatur *suum*, sic explicat s. Thomas, 1. p. q. 21. a. 1. « Unicuique debetur quod *suum* est. Dicitur autem esse *suum* alicuius, quod ad ipsum ordinatur, sicut est servus domini et non e converso. » Et in 2. 2. q. 58. a. 11.: « Hoc dicitur esse suum unicuique personae, quod ei secundum proportionis aequalitatem debetur. »

dividitur. Est iustitia *generalis*, quae et *legalis* dicitur: huic opponitur iniustitia *illegalis*. Est iustitia *particularis*, quae in *distributivam* et *commutativam* subdividitur: huic opponitur iniustitia *particularis distributiva* vel *commutativa* (1). Eae enim, ut saepius dictum est, sunt *subiectivae* partes virtutis iustitiae. Ex his autem variis iustitiae partibus illa, in qua perfecta iustitiae ratio (quoad *aequalitatem*, *alteritatem*, *debitum*) plenius invenitur, est, ut pariter saepe diximus, iustitia *commutativa*. Quae simili modo valent de iniustitia *commutativa*: haec est sensu magis stricto ac presso iniustitia. Hinc fit ut officium iuridicum sensu stricto ac presso sit illud, cuius violatio est *laesio iustitiae commutativae*, seu est infractio iuris vel iusti illius, quod est proprium iustitiae commutativae obiectum: brevius, cuius violatio est *sensu stricto ac presso iniustitia seu iniuria*. Sic e. g. stricte iuridicum est officium non laedendi proximum in bonis suis sive fortunae, sive honoris et famae, sive vitae et corporis.

Divisio III. Illud tertio loco consideremus, quod est ex officio praestandum, i. e. officii *materiam* spectemus. — Haec materia est vel aliquid *active* ponendum vel aliquid *negative* omittendum. Si primum, officium habemus *affirmativum*: sin alterum officium exstat *negativum*. Sic e. g. affirmativum est officium subveniendi proximo: negativum vero est officium non nocendi proximo.

---

(1) Ad rem s. Th., 2. 2. q. 59. a. 1.: « Iniustitia est duplex. Una quidem *illegalis*, quae opponitur legali iustitiae.... Alio modo dicitur iniustitia secundum inaequalitatem quamdam ad alterum, prout scilicet homo vult habere plus de bonis, puta divitiis et honoribus, et minus de malis, puta laboribus et damnis; et sic iniustitia habet materiam specialem, et est *particulare* vitium iustitiae particulari oppositum. »

Haec vero differentia intercedit officia inter affirmativa et negativa, nominatim *naturalia,* quod negativa sint magis universalia, quam affirmativa, tum quoad *tempora* tum quoad *personas*: — quoad tempora, quia urgent semper et ad semper: — quoad personas quia obligant quemlibet et in ordine ad quemlibet. Sic nullo prorsus tempore potest quis alteri nocere per furtum, calumniam etc.: non tenemur autem omni tempore honorare parentes, nec pares sumus ut soli egenis omnibus opitulemur (1).

Divisio IV. Spectemus tandem *terminum,* quem officium respicit, nempe personam, in cuius bonum, i. e. auxilium vel obsequium, debet officium impendi. — Ex inspecta termini diversitate, illa exsurgit apprime perspicua et prorsus vulgata officiorum divisio, in ea quae *Deum,* quae *alios homines,* quae *nosmetipsos* respiciunt. Et sane, quaeso, quaenam sunt entia illa, in quorum bonum sive intrinsecum sive extrinsecum, i. e. in quorum auxilium vel obsequium, est homini ex morali debito adlaborandum? Est α) inprimis Deus O. M., quippe qui est hominis *primum principium* et *summum bonum.* Si *primum principium,* debet homo Deo se se submittere, obedire, gratias agere: si *summum bonum,* debet Deum laudare, amare: hos autem actus ponere quid est aliud, quam Deo bonum seu gloriam, utique *extrinsecam*, praebere? — Insuper β) sunt alii, quibuscum vivimus, homines, quippe qui nobis *aequales* natura sunt ac naturali nobiscum *societate* coniuncti. Si aequales, debemus eos non laedere, iis non nocere: si socii, eos amare debemus, iis opitulari. — Porro γ) si naturae aequalitas ac mutua cum aliis

---

(1) De hac differentia pluribus iam locis diximus. Vide super. vol. I. pag. 289.

societas hoc exigunt, ut aliis bonum velimus ac procuremus; nonne hoc idem, i. e. ut bonum nobis intendamus, multo magis exigit a nobis maxima illa et intima identitas, quam quisque secum ipse habet? Itaque debet quisque velle sibi bonum, atque praecipue in id totis viribus intendere, ut finis ultimi consecutionem sibi comparet.

Quaeres, utrum officia haec erga Deum, erga alios, erga nosmetipsos, dici queant et sint *proprio* ac *perfecto* sensu officia? Respondeo. Cum officium sit *quoddam debitum alteri ad aequalitatem persolvendum*, tria in eo consideranda, nempe *debitum, alteritas, aequalitas* (1). Ea igitur sunt *simpliciter* vel sensu pleno dicenda *officia perfecta*, quibus tria illa perfecte competunt: secus *secundum quid* vel sensu minus pleno denominationem officii sibi vindicabunt (2). — Iamvero officia erga Deum non possunt ad *aequalitatem* persolvi. Etenim, ut s. Thomas ait (3), « quidquid ab homine Deo redditur, *debitum* est, non tamen potest esse *aequale*, ut scilicet tantum homo ei reddat, quantum debet; secundum illud (4), *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* » — In officiis autem erga nosmetipsos deest *alteritas*, et proinde sub hoc respectu sensu minus proprio dicuntur officia. « Minus quam inter duos charitas haberi non potest: nemo enim *proprie* ad semetipsum habere charitatem di-

---

(1) Haec tria de notione *iuris* seu *iusti* esse vidimus thesi II. pag. 25. Ut diximus, ius acceptum pro *iusto* idem fere est ac officium *in concreto* spectatum.

(2) Simili pacto *ius* seu *iustum* distinximus cum Aristotele in iustum *simpliciter* et *secundum quid* seu *perfectum* et *imperfectum*. Vide eamdem thes. II. pag. 25.

(3) In 2. 2. q. 80. a. un.

(4) Psalm. CXV. 12.

citur, sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit ». Ita s. Gregorius Magnus (1), cuius verba possunt sane aptari *officio*, quod tandem ad caritatem redit, et in suo conceptu notionem alteritatis magis etiam quam caritas exhibet. — In officiis erga alios *saepe* tum debitum, tum alteritas, tum aequalitas obtinent plene: eaque proinde sunt pleniori sensu officia perfecta. Dixi *saepe*. Nam in officio e. g. erga parentes et perfecta alteritas deest et omnimoda aequalitas. Deest perfecta *alteritas*: siquidem « in rebus humanis filius, ut s. Thomam iam loquentem audivimus (2), est aliquid patris, quia quodammodo est pars eius ». Deest omnimoda *aequalitas*: siquidem « parentibus, ut idem s. Doctor ait (3), non potest secundum aequalitatem recompensari quod eis debetur », cum ab eis praeter educationem ipsum esse, *secundario* quidem, acceperimus. Adest autem *debitum maximum*, maximum, inquam, post Deum. « Etenim homo diversimode efficitur aliis debitor, secundum eorum diversam excellentiam et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem *Deus* summum obtinet locum, qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernationis primum principium; secundario vero nostri esse et gubernationis principia sunt *parentes* et *patria*, a quibus et in qua nati et nutriti sumus. Et ideo post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriae ». Quae praeclara sunt s. Thomae verba (4).

11. Scholion. At enim, quaeri adhuc potest, tradita officiorum diviso in ea, quae Deum, quae alios homines,

---

(1) Hom. 17. in Ev.
(2) Vide thes. II. pag. 26.
(3) In 2. 2. q. 80. a. un.
(4) In 2. 2. q. 101. a. 1.

quae nosmetipsos respiciunt, estne divisio *adaequata?* Nonne addi debent officia seu moralia debita erga bruta?

Respondeo distinguendo inter *materiam* vel *obiectum* officii, eiusdemque *terminum*. Dantur hominis officia *circa* bruta, *materialiter* vel *obiective conc.* dantur hominis officia *erga* bruta, *terminative nego*. Et explico distinctionem. — In officio, ut iam innuimus, tria sunt praecipue distinguenda, *subiectum*, *materia* seu *obiectum*, *terminus*. α) Bruta nequeunt esse *subiectum* officii. Etenim officium est quoddam debitum seu vinculum *morale* ex *lege* inductum: bruta vero, utpote vi intelligendi et consequenter libero arbitrio destituta, non iam vinculo *morali* per *legem* adstringi queunt, sed *physico* tantum vinculo per *subiectivam determinationem ad unum* possunt coerceri. β) Bruta possunt esse *materia* vel *obiectum* officii, i. e. id quod est dandum, vel circa quod est aliqua actio ponenda in gratiam vel bonum alicuius. γ) Bruta nequeunt esse *terminus* officii, i. e. id in cuius bonum aliqua actio est ex debito ponenda: quia homo, utpote brutorum *plenus dominus*, non tenetur bonum ipsorum ratione seu intuitu ipsorum (ac si essent sibi *socii*) procurare, sed brutorum bonum debet promovere ratione vel intuitu sui suorumque i. e. in sui suorumque bonum. — Distinctionem inter haec tria, *subiectum, materiam* vel *obiectum*, *terminum* officii, clare vides in hoc exemplo: Caius dominus famulo suo Titio praecipit, ut vigilem habeat curam de equo, quo ipse ad equitandum utitur. Titius famulus, qui de equo curam habere debet, est *subiectum* officii: cura de equo habenda, ipseque equus, circa quem cura haec exerceri debet, est *materia* vel *obiectum* officii: Caius dominus, in cuius commodum cura illa ponitur, est *terminus* officii. Haec iuxta unanimem hominum concipiendi loquendique modum, a quo qui recedit, a communi sensu aeque ac a recta ratione recedit.

Ut autem intrinseca huius rei ratio clarius intelligatur, haec addam argumenta. — I. Quemadmodum recte loquitur s. Thomas (1), « quamdiu aliquis debet, est quodammodo servus, et cui debet, obligatur ». Ex quo principio sic arguo. Si homo morali debito adstringeretur *erga* bruta, esset quodammodo servus ipsorum. Atqui homo nullo pacto potest esse servus brutorum. Ergo homo nequit morali debito adstringi erga bruta. Minor probatur. Etenim homo est *propter se* (2), bruta vero *propter ipsum:* nempe homo est naturaliter *dominus* brutorum, quae sunt totaliter (3) addicta utilitati ac servitio ipsius. Hinc dicitur (4): « *Omnia subiecisti sub pedibus eius*,

---

(1) Comment. in epist. ad Rom. cap. VIII. lect. 2. Ad principium hoc confirmandum addit illud, Prov. 22.: *Qui accipit mutuum, servus est foenerantis.*

(2) Quo sensu dicatur hominem esse *propter se*, cetera vero *propter ipsum*, sic explicat s. Thomas, c. gent. l. III. c. 112.: « Per hoc quod dicimus substantias intellectuales *propter se* a divina providentia ordinari, non intelligimus quod ipsa ulterius non referantur in Deum et ad perfectionem universi. Sic igitur *propter se* procurari dicuntur, et alia *propter ipsa*, quia bona quae propter divinam providentiam sortiuntur, non eis sunt data propter alterius utilitatem, quae vero aliis dantur, in eorum usum ex divina ordinatione cedunt. »

(3) Dixi *totaliter*. Hoc enim discrimen intercedit inter servitutem brutorum et servitutem hominum, quod servitus brutorum *in totum brutum* descendit, non ita servitus hominum. Hinc recte Seneca, in 3. de Benef. cap 20. in princ.: « Errat, si quis existimat servitutem *in totum hominem* descendere: pars enim melior excepta est: corpora (neque, *ex toto*) obnoxia sunt et adscripta dominis, mens quidem est sui iuris. » Cf. s. Thomam, 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.m: q. 104. a. 5. At bruta *quantum ad omnia* sunt homini subiecta: eo modo quo « Deo subiicitur homo simpliciter quoad omnia et interiora et exteriora, » ut habet s. Thomas, l. cit.

(4) Psalm. VIII. 8. Et Deuter. IV. 19.: « Ne videas solem et lunam et omnia astra caeli, et errore deceptus adores ea, et colas, quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub caelo sunt. »

oves et boves universas, insuper et pecora campi. » Quam veritatem in capite *de ultimo hominis fine* fuse iam demonstravimus. — II. Idem argumentum, alio tamen modo, sic apte proponit Taparelli (1): « Ogni dovere nasce dal generale principio, *fa il bene.* Se avessimo doveri verso le creature irragionevoli, saremmo dunque obbligati a farne il bene. Ma il loro bene è il loro fine, cioè cooperare a servizio dell' uomo. Dunque il dovere verso di esse sarebbe realmente un dovere verso l'uomo. In altri termini, il padrone non ha doveri verso il servo, considerato sol come servo; giacchè l'esser servo consiste nell'essere in pro altrui. » — III. Aliis verbis, ratio, cur homo nequeat alteri homini nocere, haec est, quia aequalis ei est ac socius. Atqui bruta relate ad hominem neque habent rationem *aequalis* in natura, neque rationem *socii.* Ergo potest homo brutis nocere, dummodo sane malum physicum eis illatum in hominis utilitatem vergat. Probatur *minor.* Patet bruta non habere relate ad hominem rationem *aequalitatis* in natura : sed ne *socii* quidem rationem habent. Etenim ut duo sint socii, hoc requiritur, ut unus non sit simpliciter gratia alterius, sed ambo sint gratia communis finis, ad quem iunctis una viribus aeque conspirent : atqui bruta sunt simpliciter propter hominem ipsiusque gratia, suumque finem in servitio homini praestito obtinent. Ergo bruta non habent relate ad hominem rationem socii, sed servi tantum : qui sane totaliter est et operatur propter alium, is simpliciter est servus illius. Obiicies. Dominus erga suos famulos habet multa officia : ergo etiamsi bruta sint hominis servitio addicta, tamen potest homo erga bruta morali debito ligari. Respondeo. *Dist. ant.* Dominus habet officia erga famulos, in quantum servi sunt

(1) *Saggio teoret.* vol. I. not. 28.

nego inquantum sunt homines ei aequales eiusdemque socii *conc.* Audiatur rursus Taparelli (1): « Se il padrone ha verso i servi molti doveri, gli ha non in quanto quelli son servi, ma in quanto sono uomini pari a lui. Or le creature irragionevoli non hanno altro essere correlativo all'uomo, se non di servi; perchè questo è il loro fine. Dunque l'uomo non ha doveri verso di esse. » Scilicet, bruta sunt, homo non est servus hominis *totaliter* ac *simpliciter*.

Nihilominus neque inter antiquiores defuerunt, nec desunt inter recentiores, qui hominis officia erga bruta adstruant.— Ut ab antiquioribus incipiamus, notum est illud Ciceronis (2) : « Non mediocres viri, sed maximi et docti, Pythagoras et Empedocles, unam omnium animantium conditionem iuris esse denuntiant, clamantque inexpiabiles poenas impendere iis, a quibus violatum sit animal. Scelus est igitur nocere bestiae. » Quae sane non fuit sententia Tullii alio loco (3) sic aientis: « Quo modo hominis inter homines iuris esse vincula putant, sic homini nihil iuris esse cum bestiis. Praeclare enim Chrysippus, eetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suae, ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine iniuria. » — Item s. Augustinus (4) meminit quorumdam, qui « hoc praeceptum, *non occides*, etiam in bestias et pecora conantur extendere, ut ex hoc nullum ipsorum liceat occidere. » Et sane si darentur officia hominis erga bruta, hoc videretur esse primum, ea non occidendi. Iamvero sic istiusmodi homines strenue urget s. Doctor : « Cur non ergo et herbas, et quidquid humo radicitus alitur

(1) Loc. nunc cit.

(2) De re publ. l. III. cap. 11.

(3) De fin. bon. et mal. l. III. c. 20.

(4) De civit. Dei l. I. c. 20.

ac figitur? Nam et hoc genus rerum, quamvis non sentiat, dicitur vivere: ac per hoc potest et mori; proinde etiam cum vis adhibetur, occidi. Unde et Apostolus, cum de huiuscemodi seminibus loqueretur (1), *Tu*, inquit, *quod seminas non vivificatur, nisi moriatur*. Et in Psalmo (2) scriptum est, *Occidit vites eorum in grandine*. Num igitur ob hoc, cum audimus, *non occides*, virgultum vellere nefas ducimus, et Manichaeorum errori insanissime acquiescimus? His igitur deliramentis remotis, cum legimus, *non occides*, si propterea non accipimus hoc dictum esse de fructetis, quia nullus est eis sensus; nec de animantibus irrationalibus, volatilibus, natatilibus, ambulatilibus, reptilibus, *quia nulla nobis ratione sociantur* (3), quam non eis datum est nobiscum habere communem; unde iustissima ordinatione Creatoris et vita et mors eorum nostris usibus subditur: restat ut de homine intelligamus, quod dictum est, *non occides*: nec alterum ergo, nec te. Neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit ».

Inter recentiores eminent Damiron (4), qui ex eo potissimum arguit, *quod natura universa dici soleat ac debeat Dei filia sororque hominis ac socia*, et Ahrens (5), qui ex eo arguit praecipue, quod *crudelitas in animalia*

---

(1) I. Cor. XV. 36.

(2) Ps. LXXVII. 47.

(3) Notentur haec verba, *quia nulla nobis ratione sociantur*: hisce enim verbis argumenta paulo ante allata confirmantur. Cf s. Thomam, 2. 2. q. 64. a. 1., utrum occidere quaecumque viventia sit illicitum. Ibi arguit s. Doctor ex hoc principio: « nullus peccat ex eo quod utitur re aliqua ad hoc ad quod est. » Lege etiam c. gent. l. III. c. 112.

(4) *De la morale*. t. I. ch. 2.

(5) *Cours de droit nat.* 2 partie, spec. I. divis. ch. 2.

bruta et reprobanda sit et prohibenda. — Ad primum quod spectat, sic apte omnino respondet Liberatore (1): « Nomen *filii* in *propria* significatione non cuilibet effectui competit, sed dumtaxat viventi quod ex vivente procedat in eiusdem naturae similitudinem. Quare *strictim* nulli creaturae convenit respectu Dei; siquidem res creatae a Deo non generantur, sed producuntur, ipsique analogice tantum assimilantur. Hominibus tamen ea denominatio, *latiore* sensu, tribui solet propter duplicem rationem. *Primum*, in ordine supernaturali, ob divinam adoptionem, quae fit ope gratiae. *Secundo*, intra ipsos naturae limites ob actus morales, quibus ad Deum sic referimur, ut erga ipsum capaces simus obsequii, reverentiae, obedientiae, quae proprie a filiis praestantur. Sed haec omnia, ut perspicuum est, de rebus intelligentia destitutis dici nequaquam possunt. Eis igitur nomen filii quoad Deum *ne late quidem* competit. Quod si quandoque natura irrationalis *poetice* nominatur Dei filia; id in tantum est, in quantum imaginationis beneficio intelligentia et dignitas personalis eidem appingitur. At Damiron, ni fallor, non poema sed philosophicum tractatum elucubrabat ». — Ad alterum quod attinet, vetus est huiusmodi difficultas: eam enim sic sapienter solvit s. Thomas (2): « Si qua in sacra Scriptura inveniantur prohibentia aliquid crudelitatis committi in animalia bruta, sicut de ave cum pullis non occidenda (3), hoc fit — vel ad removendum hominis animum a crudelitate in homines exercenda, ne aliquis exercendo crudelia circa bruta, ex hoc procedat ad homines — vel quia in temporale damnum hominis provenit anima-

(1) Ius nat. p. 1. num 18.

(2) Sum. c. gent. l. III. c. 112. in fine.

(3) Deut. XXII. 6.

libus illata laesio, sive inferentis sive alterius (1) — vel propter aliquam significationem, sicut Apostolus (2) exponit illud Deuteronomii (3) de non ligando ore bovis triturantis ». Itaque ut adversarii aliquid contra nos efficerent, non id tantummodo ostendere deberent crudelitatem in bruta merito reprobari, sed ideo eam redargui, *quia est iniuria erga ipsa bruta.* Si enim merito reprobetur ideo, quia efferatum animum ostendit et reddit, vel quia est iniuria in eos, quorum dominio bruta subduntur, vel quia saevire in bruta sine ulla rationali hominis utilitate, est non « uti re ad hoc ad quod est » seu ponere actionem dissonam a fine a Creatore intento (4); si ob has, inquam, similesque causas reprehendatur, id sane non evincit morale hominis debitum *erga* bruta, sed probat tantummodo debitum hominis erga se vel alios vel Deum *circa* bruta. Iamvero adversarii illud, quod ostendere deberent, nempe ideo crudelitatem in bruta reprobari, quia est iniuria ipsis illata, nec demonstrant nec possunt demonstrare.

Restat igitur, ut dicamus non dari moralia hominis officia erga bruta, sicut nec horum iura erga hominem.

---

(1) Cf. 2. 2. q. 74. a. 1. ad 3.^m: « Ille qui occidit bovem alterius, peccat quidem, non quia occidit bovem, sed quia damnificat hominem in re sua: unde non continetur sub peccato homicidii, sed sub peccato furti vel rapinae. »

(2) 1. Cor. IX. 9. Item I. Tim. V. 10.: « Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti, et dignus est operarius mercede sua. »

(3) Deut. XXV. 4. « Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. »

(4) Qui equo vel libro in determinatum finem ab amico accepto, in alium finem contra eius voluntatem utitur, nonne iniuriam ei vel certe offensam infert? amico, inquam, infert, non sane equo vel libro.

— Sed ne dantur quidem hominis iura *erga* bruta, etsi dentur sane hominis iura *supra* vel *circa* bruta. Etenim adverbium *erga* indicat *terminum* iuris, adverbia vero *supra* vel *circa* significant *materiam* seu *obiectum* iuris (1). Bruta vero, ut diximus, possunt quidem esse et sunt materia seu obiectum iuris. At nequeunt esse iuris terminus, seu, quod idem est, subiectum officii vel moralis obligationis. Verum de his iam satis disputasse videmur.

ARTICULUS IV.

De origine iuris et officii.

THESIS IV.

I. *Quae homini competunt iura, haud secus ac officia, quibus homo adstringitur, sunt a Deo O. M. eiusque aeterna lege nobis applicata vel immediate per divinam legem sive naturalem sive positivam, vel mediate per leges humanas.* II. *Quare nonnisi per apertam contradictionem de iuribus et officiis potest disputari ab iis, qui legem aeternam, omnium legum fontem, respuunt, vel Deum, qui est ipsa lex aeterna, reiiciunt.*

12. DEMONSTRATIO. Duas thesis haec complectitur

(1) Apposite Taparelli, *saggio teoret.* dissert. II. c. 3. num. 344: « Immenso è il divario che passa fra le due formole, *aver dritto verso* una persona. *aver dritto sopra* una persona; *verso* indica *termine* di relazione, e però non può applicarsi se non fra esseri intelligenti (chi mai direbbe di aver dritti *verso* il suo giumento, *verso* il suo campo?): *sopra* indica materia di dritto e si applica ad ogni specie di esseri, dicendosi aver dritto *sul servitore, sul campo, sul cavallo* ecc. »

partes, quarum prior fundamentalem statuit veritatem (1), altera vero ex statuta veritate magni corollarium momenti deducit. Hac porro in thesi loquimur, ut patet, de iure accepto pro *potestate legitima*.

I. Veritas demonstranda haec est, *iuris officiique principium vere ac proprie esse legem*, seu, quod idem est, ius et officium *a lege exoriri:* id enim, a quo *aliquid exoritur*, huius *principium* proprio ac stricto sensu appellatur (2).

Ac primo quidem, quod *officium* a lege exoriatur, id patet manifeste. Officium enim est morale debitum seu obligatio moralis. Atqui morale debitum dimanat a lege. Ergo officium a lege exoritur, et proinde ad legem se habet ut principiatum ad suum principium. — Quare de *iure* tantum restat demonstrandum et ipsum, haud secus ac officium, a lege proficisci.

1.°) Arguimus primo ex *permissione legis*, quam sane permissionem ius in suo conceptu involvit. — Ius certe exoritur a lege, si in sua existentia dependet a *permissione*, non iam *solius facti*, sed etiam *legis*, eaque non iam *mere negativa*, sed etiam *positiva*. Atqui ita res se habet. Ergo ius exoritur a lege: a lege, inquam, positiva vel naturali, ac demum a lege aeterna, cuius ceterae leges omnes, quemadmodum in capite quarto superioris partis fuse ostendimus, sunt vel immediatae vel mediatae participationes.

Cum praemissa *maior* sit evidens, probamus tantummodo *minorem*. — Duplex distinguitur permissio: nempe permissio *solius facti* et permissio *legis* (seu permissio *iuris*, ut vocari passim solet, sumendo *ius* pro *lege*). Permissio

(1) Hanc veritatem in praecedentibus thesibus saepius uti demonstratam assumpsimus: nunc eam, data opera, probamus.

(2) Cf. ea quae de *principio* et *principiato* a probatis auctoribus traduntur in Ontologia.

selius facti est mera negatio appositi impedimenti seu mera negatio operis, quo posset aliquid efficaciter et physice impediri (1). Iam, si haec sola permissio adsit, non habetur, ut patet, ius: secus enim, cum Deus quamvis physice impedire possit, non tamen de facto impediat physice multa peccata, dicendum foret homini ius inesse ad ea perpetranda, quod est sane absurdum. Ergo ut habeatur ius, requiritur permissio legis, et ab hac legis permissione ius dependet. — At rursus duplex distinguitur permissio legis seu iuris: nempe una *mere negativa*, consistens in sola negatione praecepti et prohibitionis, altera *positiva*, consistens in aliquo statuto seu decreto, quo positive stabiliatur, hoc vel illud esse permissum. Iamvero ut ius habeatur, requiritur haec altera permissio legis: dico, *legis in genere*, i. e. vel positivae vel naturalis. Fac e. g. nullam esse legem civilem prohibentem, ne arma gestentur, itemque nullam esse civilem legem statuentem, id esse permissum. Deest quidem hoc in casu positiva permissio legis *civilis*, non deest tamen positiva permissio legis *naturalis*. Eatenus enim tali in hypothesi ius habeo gestandi arma, quatenus etsi nullum sit legis civilis decretum, quo id positive concedatur, hoc tamen exstat legis naturalis dictamen positive sanciens, id omne esse permissum, quod cum intrinsece malum non sit, a nulla insuper positiva lege prohibetur. Quare positivam permissionem alicuius legis semper ius praesupponit, ab eaque dependet in sua existentia.

2.°) Arguimus secundo ex potestate, qua ius pollet, obligandi ceteros ad omittendam vel ponendam aliquam

---

(1) Cf. Suarez, de leg. l. 1. c. 15., ubi inquirit, an recte numerentur quatuor effectus vel actus legis, *praecipere*, *prohibere*, *permittere*, *punire*, et quomodo ab illa fiant. Cf. etiam l. IX. cap. 6.

actionem (1). — Habet sane ius hanc potestatem, immo in hac potestate formaliter consistit. Ius enim est potestas exigendi ab aliis omissionem vel positionem alicuius actionis, ita ut si eam non omittant vel ponant, sint moraliter inordinati, sint digni morali vituperio ac poena: huc autem redit conceptus obligationis moralis (2). Atqui potestas obligandi ceteros est per essentiam ac modo imparticipato in Deo, in aliis vero non est nisi per participationem ab ipso (3). Ergo ius etiam, quod eam includit potestatem, in Deo quidem est primario et essentialiter, in aliis vero inest secundario et per derivationem. Itaque Deus est, qui iura homini confert, vel *immediate* vel *mediate*: immediate quidem, quoties ipse Deus per legem suam naturalem vel positivam concedit homini vim ac potestatem exigendi aliquid a ceteris: mediate vero, quoties idem praestat per eos, quos secundum aeternam suam legem sibi adiunxit suos veluti ministros, suosque in hominum gubernatione mundive administratione cooperatores.

Apposite Taparelli (4): « Se io secondo ragione

---

(1) Ius duo praestat, dat *potestatem* uni (italice, *l'autorizza*), imponit *obligationem* ceteris. Haec sunt duo iuris elementa. Iam primum, quod attulimus, argumentum procedebat ex inspecto primo iuris elemento, potestatis (*autorizzazione*) qua ius instruit personam aliquam: nunc autem ex inspecto altero iuris elemento, obligationis qua alios adstringit, alterum, quod modo subiicimus, argumentum eruitur.

(2) Cf. super. vol. 1. thes. XXXIX.

(3) Cf. ib. thes. XL.

(4) *Saggio teor.* dissert. II. c. III. num. 347. — Quod iura a lege, ut a principio, dimanent, ex eo potest etiam deduci, quod cum duo homines de iure aliquo inter se certant, *uter ius habeat*, vel *quantum uniuscuiusque ius se porrigat* etc. statim ad legem se se convertunt et ex ea litem dirimere conantur. Hic agendi modus, quem omnes natura duce sequuntur, clare ostendit, omnibus esse naturaliter perspectum hoc rectae rationis principium, *fontem principiumque iurium esse legem.*

debbo a voi rispetto, obbedienza, amore, roba ecc., voi *potete* secondo ragione da me esigere che ve li tributi: ma la obbligazione in me non nasce dal vostro dritto, nè il vostro dritto dalla mia obbligazione: sì l'uno e l'altro nascono allo stesso tempo dalle leggi di ordine eterno a noi communicate dalla ragion nostra ».

3.°) Et sane iura, si *materiam* spectes, revocari commode possunt ad ius *proprietatis* et *iurisdictionis* (1). — Utrumque hoc ius non exhibet nisi perfectionem *simplicem* (2). Atqui quaecumque perfectio simplex necessario, formaliter et in summo gradu inest bonitati infinitae, eo ipso quod infinita est. Ergo utrumque illud ius necessario, formaliter et in summo gradu inest Deo. Atqui ut Deo insit in summo gradu, requiruntur duo: — *negative*, ut Deus illud non receperit ab alio — *positive*, ut alii omnes, quotquot sunt qui illiusmodi ius habent, recipiant ab ipso. Si quid neges, iam Deus non erit ens summe perfectum, sed concipi poterit ens in perfectione seu bonitate praestantius.

Et re quidem vera, Deus est entium omnium sive rationalium sive irrationalium *creator*: si omnium creator est, omnium etiam est *absolutus dominus* (3): si omnium est dominus absolutus, nemo potest in aliquod ens habere dominium sive proprietatis sive iurisdictionis, nisi ex voluntate seu lege Dei, qui tale ei dominium communicaverit. Hinc nemo cum dicitur proprietarius, sic vocatur respectu Dei, nemo cum dicitur rector seu gubernator, sic appellatur independenter a Deo. — Paucis, nemo potest iura habere *erga* Deum. Si enim *erga* Deum

---

(1) Vide super. thes. II. pag. 35.

(2) Vide super. vol. 1. thes. II.

(3) Hinc soli Deo cum veritate dicimus, *Tu solus Dominus*. Lege De Lugo de iust. et iure disp. II. n. 4.

iura haberet, iam Deus esset *terminus* iuris seu *subiectum* officii: esset igitur subiectus legi, dependens ab alio, seu non esset Deus.

4.°) Quae homini insunt iura, ea, inspecto *titulo*, vel *congenita* sunt vel *acquisita* (1). Atqui tum congenita tum acquisita sunt a Deo. Ergo quae homini insunt iura, sunt a Deo. — Probatur *minor*. Iura congenita fundantur immediate in natura, et proinde sunt a Deo naturae auctore. Iura acquisita supponunt congenita in iisque fundantur, et consequenter fundantur et ipsa in natura, non quidem *immediate* et *proxime*, uti iura congenita, sed certe *mediate* et *remote*, i. e. consequenter ad factum aliquod contingens. Hinc iura congenita vocantur etiam iura *primaria*, acquisita vero *secundaria*: quae autem secundaria sunt, ea sane supponunt primaria. Sic e. g. facultas acquirendi res utiles est ius primarium: secundarium est ius in re hac determinata, seu ipsa actualis acquisitio rei huius, e. g. huius agri, consequenter ad tale factum, e. g. occupationis vel emptionis. At posito etiam tali facto, nullum in re hac ius acquirerem, nisi prius haberem illud congenitum et primarium ius seu facultatem illam res utiles acquirendi. Itaque iura etiam acquisita fundantur tandem in natura, et proinde sunt et ipsa tandem a Deo naturae auctore.

Quae veritas ex eo etiam apparet, quod potest quidem homo ponere vel non ponere factum illud speciale, e. g. occupationis, inire vel non inire illum statum, e. g. coniugalem: sed eo facto posito, eo statu suscepto, iam non potest excludere seu impedire ius independenter ab eius voluntate et aliunde, nempe a lege naturali vel positiva fundata in naturali, protinus erumpens, e. g. ius exclu-

(1) Vide super. thes II. pag. 33.

dendi alios ab usu rei primo occupatae, regendi familiam, educandi filios etc.

Obiicies, ipsam naturam rationalem, potius quam legem, esse primum tandem principium iurium itemque officiorum. — Respondeo, revocando in mentem distinctionem superius (1) traditam inter *principium* iuris et eiusdem *titulum*. Rationalis natura est *titulus* seu ratio, propter quam lex huic vel illi personae tribuit ius *conc.* est *principium* seu fons, e quo ipsum ius dimanat *nego*. Hoc enim principium, hic fons est lex, quae intuitu quidem illius tituli huic vel illi personae ius confert. — Eadem porro distinctio est ad officium applicanda. Natura scilicet rationalis est *motivum*, propter quod legislator imponit ceteris obligationem seu officium reverendi ius alicui collatum *conc.* natura rationalis est *principium* seu fons, a quo illa obligatio seu officium illud procedit *nego*. Hoc enim principium est ordinatio superioris seu lex a superiore lata, utique intuitu motivi illius, i. e. naturae rationalis vel nude spectatae, vel una cum facto aliquo contingenti, quod naturae accedat (2). — Si e. g. rex duci exercitus post captum oppidum ius conferat in illud; oppidi expugnatio est quidem titulus vel ratio, ob quam rex duci ius illud confert, ipsum tamen ius ab ordinatione regis ut a suo principio procedit, quae quidem ordinatio debet esse rationabilis, nec talis est nisi motivo seu ratione aliqua fundetur. Et sane si, oppido etiam expugnato,

---

(1) Vide eamd. thes. II. pag. 31.

(2) Cf. ea, quae in superiore parte, vol. I: thes. XLII. pag. 340., diximus de distinctione inter *motivum* et *fontem* obligationis, ad refellendam scilicet sententiam aliquorum Scholasticorum, nominatim Vasquesii, qui contra communiorem sententiam statuunt, naturam rationalem esse *principium* obligationis, itemque officii.

rex ius in illud non conferret duci, hic talis iuris subiectum non evaderet. Simili igitur pacto dignitas naturae rationalis est titulus, ob quem Deus confert homini iura, e. g. defendendi vitam, quae tamen iura a sapienti eius ordinatione seu ab aeterna eius lege, ut a primo principio, proficiscuntur.

II. Quae cum ita sint, iam patet manifeste altera theseos pars, quae corollarium continet ex veritate in priori parte praestituta fluens evidenter. — Cum a lege tandem aeterna dimanent iura omnia omniaque officia, si legem aeternam respuas, itemque si reiicias Deum, qui est ipsa lex aeterna, iam nonnisi per absurdum et per apertam contradictionem potes de iuribus et officiis disceptare. Huic corollario possunt alia etiam subnecti.

Nam et illud consequitur, merito prorsus in Syllabo (1) condemnari propositionem, quae adstruit, reipublicae statum seu civile ius esse *omnium iurium originem et fontem.* — Ius civile (ut hoc aliud etiam addamus argumentum) est ius, quod incepit esse postquam non fuit: est ius contingens et creatum. Sed ius, quod incepit esse postquam non fuit, praesupponit ius aliquod primum, quod nec acquiratur nec possit acquiri de novo, quodque proinde sit essentialiter et a se: item ius contingens et creatum praesupponit ius necessarium et increatum; huiusmodi autem ius non est nisi ius Dei in res omnes. Ergo ab hoc iure omnia iura essentialiter dimanant (2). Quare recte Tullius (3) eos approbat, qui statuunt « ius, quod ita dici appellarique possit, id esse natura » i. e. a Deo naturae auctore.

---

(1) Prop. 39.

(2) Cf. Esparza de virt. iustit. q. V.

(3) De fin. bon. et mal. l. III. c. 20. num. 17.

Illud quoque ex iam dictis consequitur, *iniuriam formaliter ac proprie non posse auferre ius.* — Eatenus enim posset illud auferre, quatenus posset irritum reddere actum seu effectum legis, i. e. potestatem (*l'autorizzazione*) a lege collatam disponendi de re aliqua. Atqui huiusmodi vim non potest habere iniuria. Ergo iniuria non aufert ius. Quare magnum intercedit discrimen inter *furem*, qui a Titio subripit centum aureos, et *iudicem*, qui mulctam centum aureorum Titio imponit. Fur enim iniuria et iniustitia, quam perpetrat, aufert quidem a Titio centum aureos, hosque auferendo impedit ei exercitium iuris, non tamen ab eo aufert ipsum ius: siquidem manet Titius eorum dominus nummorum, qui, quocumque devenerint, etiam in manu furis, clamant ad dominum, eique debent restitui. Iudex autem decreto et sententia, quam dicit, simul cum aureis tollit a Titio nedum exercitium iuris, sed et ipsum ius. Obiicies: nonne qui rem alterius destruit, e. g. librum comburit, aufert ipsum ius? Scilicet id efficit *improprie* et *de consequenti*, quatenus e medio tollit *materiam* iuris (eo pacto, quo *de consequenti* tantummodo iura aufert homicida, qui e medio tollit ipsum *subiectum* iurium). Ubi animadvertendum est, quod in eo etiam casu iniuria non favet neque prodest damnificatori: praevalet enim lex, quae damnificatorem obligat ad materiam *identicam*, si ea detur, alteri reddendam atque ad damna, quae alter passus est, reparanda. Itaque quatuor haec sunt inter se diversa: α) physice impedire *exercitium* iuris, β) appropriare sibi vel etiam destruere *materiam* iuris, γ) e medio tollere ipsum *subiectum* iuris, δ) auferre ab altero et sibi conferre *ipsum formaliter ius*. Tria illa priora per vim efficere iniuria potest, postremum non potest (1).

---

(1) Apposite Taparelli, *corso elem. di nat. dir*, l. 1. c. 3. n. *69.*:

Hinc in Syllabo merito omnino sequens haec condemnatur propositio (1): « *Ius in materiali facto consistit* (ius enim non est materiale factum, sed est potestas legitima seu moralis, eaque moraliter inviolabilis), *et omnia hominum officia sunt nomen inane* (officia enim non sunt vacuum nomen, sed verum ac reale debitum seu vinculum morale, quo voluntas humana, sive velit sive nolit, est moraliter ligata), *et omnia humana facta vim iuris habent* (humana enim facta, si iniuriae sint et iniustitiae, nec ius conferre possunt, nec ab altero ius auferre). Facta igitur humana, quantumvis consummata et feliciter consummata, si sint iniuriae et iniustitiae, non habent vim iuris, idque sive in ordine individuali, sive in ordine politico (2).

13. Scholion. Quemadmodum sol et lux a Deo sunt simul *simultate temporis*, ita a lege simul *simultate temporis* sunt ius et officium. At lux etsi *tempore* sit simul cum sole, cui scilicet duratione non antecedit; tamen non est cum eo simul *natura*, siquidem lux a sole in existentia dependet. Hinc ratio est dubitandi et inquirendi, utrum ius et officium, sicut *tempore*, ita etiam *natura* sint simul, an vero alterum sit altero prius *priori-*

« Violenza non può *scemare* il diritto, benchè possa *violarlo*: solo la volontà di chi lo possiede, o il cangiamento dell'ordine che lo sostenta, possono cagionarvi alterazione. »

(1) Num. 59 Vide etiam num. 61.: « *Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert* ».

(2) Pius IX, in encyclica *Quanta cura*, eam etiam confixit propositionem, quae docet, *voluntatem populi publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam* (suprema quippe lex est lex aeterna, quae primo participatur per legem naturalem: hanc vero omnes aliae leges praesupponunt nec immutare possunt); *et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habent.*

tate naturae: et rursus utrum alterum sit altero prius *prioritate cognitionis*. Haec enim triplex distinguitur simultas et prioritas, *temporis naturae cognitionis* (1). Quaestionem hanc, quae cum veritate in hac thesi exposita arcte connectitur, paucis absolvemus.

Ut autem status quaestionis recte teneatur, quaestio non est, utrum ius, quod lex alicui personae confert ad officium aliquod, quod eidem imponit, exsequendum (2), sit huiusmodi officio prius. Tunc enim ius evidenter est officio posterius, non quidem *tempore*, sed tum *cognitione* tum *natura*: e. g. ideo cognoscimus inesse parentibus ius ad obedientiam filiorum, quia cognoscimus parentes teneri officio educandi filios, itemque ideo ius illud parentibus inest, quia parentes tali adstringuntur officio. — Verum quaestio est de iure existente in uno deque officio correlativo existente in altero (*controparte*) ab illo priori distincto, e. g. de iure proprietatis, quod in me est, et de officio, quo alii tenentur, non subripiendi rem meam.

Hisce positis, sic arguimus. Ius est *facultas exigèndi* omissionem vel positionem alicuius actionis: officium vero est *debitum* omittendi vel ponendi aliquam actionem.

---

(1) Unum esse *prius* altero *quoad tempus*, significat, illud praecedere alterum duratione: hoc pacto e. g. Alexander Magnus extitit prius quam Iulius Caesar, et semen est prius quam planta. — Unum esse *simul* cum altero *quoad tempus*, et tamen *prius* eodem *quoad naturam*, significat, hoc alterum, etsi simul existat cum illo, tamen esse eiusmodi, ut ab eo in existentia dependeat: hoc pacto lux simul quidem existit cum sole, a quo tamen in existentia dependet. — Unum esse *prius* altero *in ordine cognitionis nostrae*, significat, ex illo cognito nos devenire in cognitionem alterius: hoc pacto ex cognita existentia entium contingentium procedimus ad cognitionem existentiae entis necessarii.

(2) Cf. thes. II. pag. 35.

Atqui haec duo — facultas exigendi aliquid et debitum praestandi illud — etsi simul sint quoad tempus, non tamen sunt simul quoad cognitionem et quoad naturam, sed facultas exigendi tum cognitione tum natura prior est debito praestandi. Ergo ius est tum natura tum cognitione prius, quam officium. — Probatur *minor*. Non ideo e. g. Deus vel superior humanus habet ius exigendi a me hanc vel illam actionem, quia ego teneor officio ei obtemperandi: sed e contrario ideo officio adstringor ei obediendi, quia ille ius habet exigendi a me obedientiam. Hinc si superior humanus actiones praecipiat ex se malas, non teneor ei parere, immo teneor ei non obtemperare, quia nullum ius habet tales a me exigendi actiones, quas Deus ius habet prohibendi et reapse prohibet. Ergo ius prae officio habet prioritatem *naturae*, itemque, ut ex dictis facile patet, *cognitionis:* duo tamen haec, ius et officium, ut apte loquitur Taparelli (1), « *sono originariamente figli gemelli del supremo ordine morale* » seu legis aeternae.

Paucis egimus da quaestione satis acriter varios inter auctores agitata, utrum ius sit prius officio, an e contrario: de eaque egimus dubitantes potius et disceptantes, quam certum quid statuentes. Versamur enim in quaestione *de relatis ad aliquid*, de quibus sic Aristoteles (2): Ἴσως δὲ *χαλεπὸν ὑπὲρ τῶν τοιούτων σφοδρῶς ἀποφαίνεσθαι, μὴ πολλάκις ἐπεσκεμμένον. Τὸ μέντοι διηπορηκέναι περὶ ἑκάστου αὐτῶν, οὐκ ἄχρηστόν ἐστι.* Fortasse autem difficile est, de talibus certum quid statuere, qui non saepe consideraverit. Dubitare tamen et disceptare de singulis eorum, non est inutile.

---

(1) *Saggio teoret.* dissert. II. cap. 3. num. 347.
(2) Categor. seu lib. de praedicam. c. V. in fin.

Placet hanc thesim, in qua probavimus *fontem iurium et officiorum esse legem*, absolvere hisce Taparelli verbis (1): « Quando dunque noi diciamo, *io mi obbligo, io acquisto un diritto*, noi non siamo i *creatori* di quel sacro vincolo che lega gli spiriti, ma poniamo soltanto la material condizione della obbligazione o del diritto, entrando spontaneamente in quelle relazioni, nelle quali *l'ordine eterno ci legherá a dovere o ci attribuirá il potere verso la controparte* (2). E siccome anche senza nè volerlo nè capirlo nè saperlo possiam noi entrare in tali relazioni materiali, così senza volerlo nè capirlo nè saperlo possiamo aver dei dritti o acquistarli (3). »

ARTICULUS V.

De principio cognitionis iurium et officiorum.

THESIS V.

Lex quemadmodum obiective est iurium officiorumque fons et origo, ita quoad nos est eorumdem cognoscendorum principium et criterium.

14. DEMONSTRATIO. Nomine *principii cognitionis iurium et officiorum* intelligimus id, ex cuius consideratione

---

(1) L. nup. cit. num. 348.

(2) Cf. quae contra Rationalistas exposuimus vol. 1. thes. XLI., praecipue quae diximus in *scholio* in respons. ad obiect. IV.^m p. 337. Item cf. quae de iuribus *congenitis et acquisitis* diximus super. thes. II. pag. 35., et ea quae hac in thesi tradidimus pag. 62.

(3) Cf. super. thes. II. pag. 37.

colligi certo ac recte potest, quaenam nobis aliisve *iura* insint, quibusnam nos aliive *officiis* adstringamur. Hoc autem, ut satis patet, non potest esse nisi illud ipsum, ex quo tamquam ex fonte iura et officia omnia *obiective* dimanant: id vero, ut in thesi praecedente vidimus, est *lex*. Ergo lex est verum ac rectum iurium officiorumque cognoscendorum principium. Sed, quaeres, estne lex cognoscibilis? Est sane cognoscibilis — vel per ipsum naturale lumen rationis, si sit *naturalis*, — vel, si *positiva* sit, per signa illa externa, in quibus manifestatur. Illud potius adverte, quod iura officiaque spectat *positiva* seu *acquisita*, nimirum ad ea dignoscenda inspectioni *legis* addi etiam debere inspectionem *facti*, i. e. utrum rite positum fuerit illud factum (e. g. consensus, emptionis, donationis etc.), consequenter ad quod vel cuius ratione et intuitu lex confert ius, officiumque imponit. Quae ex dictis in disputatione de legibus et in praestitutis de iure officioque thesibus constant, sicut etiam pauca haec, quae uberioris explicationis gratia subiicimus.

Actiones vel sunt *intrinseca* moralitate praeditae, vel non. Priores illae sunt obiectum *proprium* legis *naturalis*, aliae vero legis *positivae*.

Quod spectat ad actiones intrinseca moralitate praeditas, eae sunt vel *intrinsece malae* vel *intrinsece bonae*. — Actiones intrinsece malae cadunt omnes sub legem naturalem *prohibentem*. Hinc nullum habere possumus *ius* eas ponendi, sed contra *officio* tenemur eas omittendi. — Actiones autem intrinsece bonae cadunt sub legem naturalem vel *praecipientem* vel *suadentem* vel positive *permittentem*. Habemus ergo *ius* eas ponendi. Tenemur insuper *officio* ponendi illas, quae sunt obiectum legis naturalis *praecipientis*, seu quae ita de se bonae sunt, ut earumdem oppositum sit de se malum.

Quod autem attinet ad actiones, quae non gaudent

intrinseca moralitate (ut est e. g. actio gestandi arma), eae vel *prohibentur*, vel *praecipiuntur*, vel *suadentur*, vel *eprmittuntur* a lege positiva. — Si prohibentur, non *ius* inest nobis eas ponendi, sed *officium* urget eas omittendi. — Si praecipiuntur, et *ius* et *officium* adest eas ponendi. — Si commendantur, *ius* quidem adest, non tamen *officium* eas ponendi. — Si permittuntur, quamvis *officium* non urgeat, tamen *ius* exstat eas ponendi. Id patet, si permissio legis sit *positiva*. Sed idem valet etiam, si legis positivae permissio sit tantum *negativa*: quia, ut iam diximus (1), hoc ipso quod eae actiones a nulla positiva lege prohibentur, cum intrinsece malae non sint, iam positive permittuntur a lege naturali.

Itaque iurium cognoscendorum criterium — neque est *permissio solius facti* (2) — neque sola *utilitas*, ut volunt Utilitarii (3) — neque sola *voluptas*, ut Epicurei contendunt (4) — neque *suffragia* sunt aut *scita* populorum. Hisce enim admissis, quaenam non sequeretur moralis ordinis perversio ? quodnam non sequeretur absurdum ? Scilicet « ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur ». Haec affirmare nonne dementis est ? « Ius et iniuria natura diiudicatur. . . . . . Ea in opinione existimare, non in natura posita, dementis est ». Quae eximia sunt Ciceronis verba (5). Paucis haec omnia attigimus: ea enim ex tractationibus *de moralitate* et *de legibus* satis iam perspicue intelliguntur.

---

(1) Vide super. thes. IV. argum. 1. pag. 59.
(2) Cf. eamd. thes. l. cit.
(3) Cf. super. vol. 1. thes. XXII. pag. 178.
(4) Cf. ibid. pag. 181.
(5) Vide de leg. l. 1. cap. 16. Hunc locum iam attulimus super. vol. 1. thes. XLIX. pag. 387.

15. Scholion. Supremum illud ius, quo Deus dominatur universis, quodque omnium iurium principium esse demonstravimus, hoc sane habet sibi proprium, ut ius sit *irreceptum* seu *imparticipatum*. E contrario se habent illa, quae homini competunt vel competere possunt, iura: omnia enim sunt *recepta* seu *participata*, i. e. a supremo illo Dei iure dimanantia (1). Haec ex iis, quae diximus in hac et praecedente thesi, patent manifeste.

Hinc autem alterum sequitur discrimen ius inter divinum et humanum. Ius nempe divinum est prorsus *illimitatum* seu *infinitum*, ius vero humanum est *limitatum* seu *finitum*, i. e. certis circumscriptum confiniis vel terminis. Cum enim ius divinum non sit ab alio, non habet a quo limitetur aut mensuram accipiat, ac proinde manet illimitatum in amplitudine sui conceptus. Cum e contrario ius humanum sit a Deo, limitatur secundum modum, quem ei imponit divina sapientia (2). — Et re quidem vera ius humanum illimitatum foret ius ita participans ius divinum, ut magis participari nequeat. Exinde autem sequeretur, ius divinum esse ius finitum: ius enim, quod ita participatur, ut magis participari nequeat, est ius limitatum (3). Falsum est hoc consequens: ergo illud etiam antecedens, ex quo tale consequens legitime descendit, est falsum (4).

---

(1) Illustrari hoc potest similitudine solis, qui lumen ha et a se ipso i. e. non ab aliquo alio corpore, et lunae, quae lumen habet a sole.

(2) Vide Lessium, de perfect. morib. div. l. VII. cap. 1. num. 4. « Sicut (hanc Lessius addit comparationem) omnia opera artis mensuram et modum et terminum accipiunt ab arte opificis. »

(3) Eo pacto (ut hanc afferam comparationem), quo finitus est fons, ex quo ita aqua hauritur, ut magis hauriri nequeat.

(4) Et sane, iuxta vulgatum axioma, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: i. e. quidquid recipitur, recipitur semper

Itaque *limitatio* merito dicitur essentialis conditio iuris cuiuslibet humani. Quocirca in Syllabo, ut alio loco (1) iam diximus, ea merito condemnatur propositio, quae asserit, civile ius quodam pollere iure nullis circumscripto limitibus.

Quaeres autem, undenam hi limites, quibus ius quodvis humanum circumscribitur, dignosci queant? Ex consideratione et inspectione legis: lex enim duo praestat, nimirum et iuris, quod homini confert, existentiam patefacit, et insuper fines etiam seu terminos designat, intra quos ius confert. Lex itaque diligenter perpendatur iuxta sanae *interpretationis* (2) regulas. Hae autem regulae ad has tres praecipue revocantur (3): — 1.) Verba legis accipienda sunt iuxta propriam et communi usu receptam significationem, nisi quid absurdum aut iniustum inde sequatur. — 2.) In dubio autem de vero legis sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes. — 3.) Lex poenalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda, les

---

eo modo eaque proportione, quam fert propria subiecti, in quo recipitur, capacitas et dispositio. (Hinc e. g. lex aeterna participatur a brutis in iisque recipitur per modum instinctus seu aestimationis naturalis, non autem per modum legis, cuius scilicet bruta capacia non sunt). Sed propria hominis capacitas et dispositio est semper finita. Ergo cum homo ius recipit, illud semper modo recipit finito.

(1) Cf. super. vol. 1. thes. L. pag. 393. num. 144. — Si civile ius esset, quemadmodum affirmant multi, fons et origo omnium iurium, tunc sane foret ius illimitatum. Sed illud gratis asseritur, immo contra omnia rectae rationis principia. Ergo ius civile non est neque esse potest illimitatum.

(2) Vide quae de legis interpretatione diximus super. vol. I. thes. L. pag. 396. Cf. Suarez, de leg. l. VI. cc. 1-5.

(3) Ita s. Alphonsus de Ligorio, de leg. num. 200. : Gury, de leg. num. 112.

vero favorabilis amplam interpretationem poscit: hinc axioma, *Favores sunt ampliandi et odia restringenda.* Quae regulae quamvis praecipue statuantur de lege *positiva*, tamen cum proportione valent etiam de lege illa *naturali*, quae « non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur» (1). Sic. e. g. ex inspecto *fine*, ob quem lex naturalis parentibus confert ius ad obedientiam filiorum, qui finis est conveniens eorumdem educatio, colligimus, praedictum ius habere limites, tum quoad *tempus*, ita ut completa educatione cesset, tum quoad *obiectum*, ita ut ad ea tantummodo se porrigat, quae ad illud educationis bonum obtinendum necessaria sunt vel utilia.

Quae cum dicimus, non id sane affirmamus, facile semper ac clare solvi posse dubia vel expediri quaestiones, quae exoriri possunt circa existentiam iuris vel circa confinia, extra quae ius nequit evagari. Etenim quemadmodum lex, quae ius gignit, tenebricosa nobis esse potest, ita obscurum nobis potest esse ius, quod a lege oritur, immo etiam adeo densis offusum tenebris, ut eas dissipare non modo rudis homo, sed ne ullus quidem possit « consultus iuris et actor causarum » (2). Hinc autem contingere potest, ut aliquis iudicium proferat *invincibiliter* erroneum circa limites proprii iuris, practice ac prudenter iudicando, suum ius extendi ad aliqua, ad quae *vere* et *ex parte rei* minime se porrigit. Quo in casu erronea quidem erit conscientia, sed erronea *inculpabiliter*, cuius ductum qui sequatur, eius actio esse quidem poterit mala obiective et materialiter, subiective tamen et formaliter exspers erit malitiae (3).

---

(1) Ita s. Ambrosius: cf. super. vol. I. thes. XXXIII. pag. 273.

(2) Hor. de arte poet. vv. 369. 370.

(3) Vide quae de conscientia invincibiliter erronea diximus super. vol. I. thes. LIII. pag. 412.

ARTICULUS VI.

De iurium conflictu seu collisione.

Thesis VI.

Iurium circa unam eamdemque rem conflictus non est ontologice verus, sed tantummodo apparens. Quocirca eo in concursu illius habenda est ratio iuris, quod suam retinet vim, altero, quod tunc quoad exercitium suspenditur, ad tempus posthabito. Quodnam autem sit ius, quod ea in collisione praevalet suum servando robur, id diversis pro diversitate casuum criteriis diiudicari debet.

16. Praenotiones. In iure creato, eoque accepto pro *legitima exigendi aliquid potestate* (sic enim modo spectamus ius), tria sunt diligenti studio consideranda: nempe—*limitatio*, qua suam ob originem seu derivationem intra certos limites numquam non coarctatur—*collisio*, in quam ob suam limitationem saepe incidit—*coactio*, quam suam ob inviolabilitatem sibi vindicat. Quae tria pluribus ab auctoribus appellantur *attributa* iuris creati. Ita Card. Zigliara (1): « Limitatio est iuris attributum in se spectati: collisio est attributum iuris in comparatione cum iure: coactio est attributum consequens ius in ordine ad aliam personam, in quam ius habetur. »

In scholio theseos praecedentis iam de *limitatione* diximus: ac duo praecipue ostendimus, *primo*, ius quod-

---

(1) Philos. Mor. pars alt. ab init.

vis creatum esse finitum, *secundo*, rectum hos fines detegendi modum esse hunc, legem attente dispicere ac rite interpretari. Itaque hac in thesi agemus de *conflictu* iurium, in thesi vero sequente de *cooctione* loquemur.

17. Demonstratio. Contingit saepe, ut duae leges ex opposito concurrant, quatenus una impleri nequeat, quin eoipso altera non impleatur. Exemplo sint lex naturalis, quae praecipit, ut proximo in extrema nostri auxilii necessitate constituto praesto simus, et lex ecclesiastica, quae iubet, ut sacrum diebus festis audiamus: potest enim quandoque fieri, ut hae duae leges secum exadverso concurrant, ita ut utramque simul implere legem nequeamus. — Hic tamen conflictus non est ontologice *verus*, sed menti solummodo *apparens*. Etenim ex iis duabus legibus alterutra proculdubio iis in adiunctis actu non obligat. Dico, *in iis adiunctis*. Nam *seiunctim ab illis*, seu re *absolute* inspecta, utraque lex (tum subveniendi proximo, tum sacrum audiendi) stat ac viget (1): *relative* tamen, seu *dependenter ab iis adiunctis*, alterutra actu, ut dixi, non obligat seu quoad exercitium suspenditur. Ratio in promptu est, sive rem spectes ex parte sapientiae Dei, qui auctor tandem est atque fons omnium legum, quique nequit irrationabilia praecipere: sive rem consideres ex parte hominis, cui lex imponitur, quique nequit ad impossibilia obligari seu in peccandi necessitate constitui. — Cum in eo conflictu una solummodo lex reapse et in actu secundo efficaciam habeat,

(1) Hinc inepte tamquam exemplum huius, de quo loquimur, concursus poneretur lex naturalis prohibens idololatriam et lex civilis eamdem, ut saepe contigit, praecipiens. Huiusmodi enim civilis lex, utpote iniqua, nonnisi per abusum vocis appellaretur, lex, et esset simpliciter atque absolute omni vi obligandi destituta seu nullo in casu esset lex. Ubi ergo conflictus? ubi pugna legum?

quaerenti, quid sit eo in casu agendum, sic apte respondetur: rationem habendam esse legis illius, quae tunc minime suspenditur, altera lege, quae in actu secundo pro iis adiunctis non obligat, ad tempus posthabita. — Quaerenti autem rursus, quaenam sit lex, quae iis in adiunctis permanet in suo robore, ita debet responderi: id nequaquam posse unica generali regula definiri; ab adiunctis enim res dependet, praecipue vero debet erui ex inspecta ratione seu natura legum, de quibus agitur, et indole vel qualitate materiae seu obiecti quod leges respiciunt (1). Ex utroque hoc capite in eo conflictu, quem ab initio fingebamus, inter praeceptum illud legis naturalis et praeceptum alterum legis ecclesiasticae, hoc alterum, priore illo vigente, suspenderetur.

Cum ius et officium a lege, tamquam a suo fonte seu principio, dimanent; hinc ea, quae praemisimus de legum ex opposito concurrentium pugna, valent etiam ad duplicem aliam solvendam quaestionem, videlicet quid sit agendum — quando duo iura circa unam eamdemque rem exadverso confligunt — quando duo videntur adesse et urgere *incompossibilia* seu *insociabilia* officia. De hac altera quaestione, quae nimis est ex dictis manifesta, nihil addemus: de priori autem quaestione seu de conflictu iurium haec ex ordine animadvertimus.

I. Saepe quidem fit, ut duo iura exadverso confligant, quatenus utrumque videatur circa unam eamdemque rem

---

(1) Inquisitio in *naturam legis* huc redit: utrum lex sit naturalis an positiva, divina an humana, ecclesiastica an civilis: utrum sit affirmativa an negativa: utrum sit lex iustitiae an caritatis etc. — Inquisitio in *qualitatem materiae* seu *obiecti* huc redit: utrum agatur de actione intrinsece bona vel mala, an vero de actione intrinsece indifferente: utrum de actione agatur necessaria ad Dei cultum, religionis honorem, bonum commune, an secus etc.

sibi vindicare moralem eamdemque inviolabilem potestatem. Exemplo sint ius, quod Titius habet, utendi suo equo, et ius, quod Caius habet, iis utendi mediis, quae sunt conservationi vitae prorsus necessaria: fieri enim potest, ut duo haec iura ex opposito simul concurrant, puta, si usus illius equi hic et nunc sit Caio, quem sicarius districto pugione insequitur, medium pro conservanda vita prorsus necessarium.

II. Huiusmodi tamen conflictus non potest a parte rei *verus* esse, sed est tantummodo menti *apparens*. Etenim ex iis duobus iuribus alterutrum absque dubio iis in adiunctis vi sua morali destituitur. Dixi, *iis in adiunctis*. Nam *seorsum ab illis*, seu re *absolute* considerata, utrumque ius perstat ac viget (tum ius Titii ad usum equi, tum ius Caii ad usum mediorum, quae pro conservatione vitae sunt prorsus necessaria): re tamen inspecta *relative* et *dependenter ab iis adiunctis*, alterutrum suam pro iis circumstantiis vim amittit, et proinde ad tempus quoad exercitium suspenditur. — Et sane si utrumque ius in illis etiam adiunctis firmum persisteret, tunc scilicet lex daret simul et non daret potestatem exigendi aliquid, imponeret simul et non imponeret obligationem aliquid praestandi, lex nempe irrationabilis esset ac sibimetipsi contradiceret: lex autem irrationabilis et secum ipsa pugnans non est lex. Apposite Taparelli (1): « È impossibile che *due poteri secondo ragione* sieno *attivamente* e *contemporaneamente* contrarii, ossia che la ragione detti all' uno che egli *ha da ricevere* e insieme che detti all' altro che *non dee dare:* » puta, ut sistamus in exemplo iam allato, quod dictet Caio, se iis in adiunctis habere moralem potestatem exigendi a Titio usum equi, simulque dictet Titio,

---

(1) *Saggio teoret.* dissertaz. II. cap. 3. num. 361.

se iisdem in adiunctis potestatem moralem habere renuendi Caio usum equi. « Potranno talora, sic idem auctor alio loco (1) disserit, amendue i litiganti vantar diritti, e forse anche persuadersi di averli, e persuadersene per innocente errore; e allora per un cotal dritto *apparente*, che nasce dall' ordine *logico* nella coscienza *erronea*, sarà loro lecito praticamente l' urto scambievole (2). Ma il dritto *reale*, che nasce dall' ordine *delle cose* e non *delle idee*, non potrà mai assistere ad ambe le parti senza una contradizione manifesta: imperocchè se io ho dritto a ripetere una soddisfazione, *perchè questa è voluta dall' ordine* (nel che consiste *il dritto*), è impossibile che l' ordine voglia che voi me la ricusiate: altrimenti l' ordine *vorrebbe* e *disvorrebbe*. » Recte omnino fit distinctio haec inter duos ordines, *ontologicum* seu *realem*, in quo nos ius spectamus, atque *logicum* seu *mentalem*, in quo ob humani intellectus infirmitatem potest quis invincibiliter errare et practice prudenterque iudicare, se habere ius, cum tamen ius vere et ex parte rei non habeat.

III. Cum in eo conflictu unum tantummodo ius reapse et in actu secundo perstet; quaerenti, quidnam ergo sit de eo conflictu sentiendum, quidve in eo agendum, sic debet inprimis responderi : rationem esse ha-

---

(1) Nempe in adnot. XLVII ad dissert. cit.

(2) Huc facit id, quod passim docent auctores, bellum posse ex utraque parte esse iustum *formaliter tantum*, non autem posse ex utraque parte esse iustum *etiam materialiter*. Ratio prioris est, quia ad id sufficit, ut is, qui bellum gerit, prudenter et practice iudicet se habere ius gerendi bellum. Ratio alterius est, quia ad id insuper requiritur, ut ius *vere* et *ex parte rei* existat, non tantummodo *in conscientia gerentis bellum*. Cf. Becanum, theol. schol. part. III. tract. 1. de virtut. cap. XXV. q. 7.

bendam iuris illius, quod tunc suam servando vim praevalet, altero iure, quod vim tunc actu amittit, posthabito.

IV. Quaerenti autem rursus, quodnam sit ius, quod iis in adiunctis suum servat robur, sic debet ulterius responderi: id (quemadmodum solet in moralibus quaestionibus contingere) non posse unica generali regula determinari; res enim ab adiunctis pendet, praecipue vero diiudicari debet ex inspectis quinque illis, de quibus saepe diximus, iuris elementis, i. e. *principio*, *materia*, *titulo*, *subiecto*, *termino*, queis addi etiam potest *finis*, ob quem a lege ius confertur. Sic, ut ad allatum redeamus exemplum, ius Caii, praecipue ob praestantiorem circa quam versatur materiam, firmum perstat: ius vero Titii debilius est atque pro iis adiuuctis quoad exercitium suspenditur, supposito quidem, quod equi usus non sit Titio eodem illo pacto necessarius. Novi varias a variis auctoribus assignari speciales regulas ad praedictam quaestionem in praxi solvendam, praecipue vero hanc regulam: illud ius, altero suspenso, persistit, cuius — vel *materia*, circa quam versatur, est praestantior, — vel *bonum*, ad quod obtinendum aut retinendum confertur, est altius, — vel *titulus*, in quo fundatur, firmior. Verum haec regula, si pro multis collisionis casibus valet, non videtur universaliter valere posse pro omnibus (1).

18. Scholion. Diximus saepius, in iurium collisione ius debilius non *cessare* aut *extingui*, sed quoad exercitium *suspendi*. Et recte quidem: quod enim accidit in concurrentia legum, id in conflictu quoque iurium contingit.

Quando duae leges ex adverso concurrunt, neutra

---

(1) Vide casus, quos recenset ac solvit Card. De Lugo, de iust. et iure disp. XVI. sect. VII. num. 190. seqq.

cessat aut *extinguitur*, sed alterutra *suspenditur*. Cuius rei perspicue, ut solet, rationem affert Suarez (1): « Ut lex simpliciter *cesset*, necessarium est, ut eius ratio perpetuo cesset generaliter. Nam si ad tempus tantum sic cessare videatur, tunc potius *suspendetur* obligatio legis, quam ipsa *extinguatur;* quia non fit simpliciter inutilis vel iniusta, sed tantum pro hoc tempore, et ideo limitata causa limitatum parit effectum. Ergo *suspenditur* lex, non *extinguitur.* »

Simili ratione tunc ius cessat et extinguitur, quando vel desinit *materia*, circa quam ius versatur, — vel destruitur *titulus*, in quo innititur, — vel lex, quae ius confert cum hac clausula sive tacita sive expressa, *quousque contrarium non statuatur*, decernit contrarium, — vel quando ius, quod *valide* alienari potest, alienatur (2). Atqui in iurium conflictu *per se* et *vi collisionis* nihil horum contingit. Ergo in iurium conflictu ius debilius non cessat nec extinguitur, sed quoad exercitium suspenditur. In iurium collisione, monet Taparelli (3), « benchè il dritto *sussista*, pure non si *esterna*, come non esternasi presso i fisici quella forza, che neutralizzata per la rea-

(1) De leg. l. V. c. 9 num. 18. in fine.

(2) Vide quae diximus in th. II. pag. 36. de iurium divisione in *alienabilia* et *inalienabilia*. Ius alienabile est illud, quod alienari potest — *valide* simul et *licite* — vel saltem *valide*. quamvis non *licite*. Inalienabile vero est, quod alienari non potest — nec *valide* nec *licite* — vel quod *valide* quidem potest, non tamen potest *licite* alienari.

(3) *Saggio teoret.* dissert. II. cap. 3. num. 351. — Quod ius suspendatur quidem, non tamen cesset, ex eo etiam patet, quod Caius (ut in allato sistamus exemplo) equum, cuius usus fuit ei necessarius ad vitam conservandam, hac cessante necessitate, teneretur Titio restituere.

zione da loro appellasi *forza morta* » (1). In his autem, quae diximus, praecipua etiam doctrinae capita *de cessatione iurium*, quantum satis est, habentur.

ARTICULUS VII.

De vi iuris coactiva.

Thesis VII.

Ius vi pollet coactiva, tum ad impediendum ne laedatur, tum ad exigendum ut si laesum iniuste fuerit reparetur.

19. Praenotiones. Restat ut de illo agamus iuris attributo, quod coactionem vocant, seu de *vindicatione* (2) agamus iniuriarum. Ut autem hac in thesi ordinate progrediamur, duplex tempus seu duplicem veluti statum iniuriae distinguimus. Iniuria scilicet vel in eo est ut inferatur vel illata iam fuit et consummata, brevius vel est

---

(1) Aer e. g. comprimatur in vase. Existit ibi profecto vis aeris *expansiva*: non ea tamen apparet, quia impeditur vi alia, scilicet resistentia vasis. Si alia haec vis cesset, statim expansiva vis se prodit ac manifestat.

(1) Vide definitionem *vindicationis*, quam tradidimus super. vol. I. thes. LVIII. pag. 445. Tullius, de invent. l. II. c.. 53. n. 161., sic definit virtutem *vindicationis*: est ea, « per quam vis aut iniuria et omnino omne quod obfuturum est, *defendendo* (en primum huius virtutis munus, iniurias debito modo impedire ne fiant) aut *ulciscendo* (en alterum eiusdem munus, iustam illatarum iniuriarum reparationem ordinato modo exigere) propulsatur. » De hac virtute praeclare agit s. Thomas, 2. 2. q. 108.

in fieri (1) vel *in facto esse.* — Quoad primum inquirimus, utrum iuris possessor queat vim etiam physicam adhibere ad iniuriam impediendam ne fiat. Quoad alterum inquirimus, utrum possessor iuris queat vi etiam adhibita exigere convenientem iniuriae acceptae reparationem.

Hac porro in thesi de iis praecipue iniuriis sermo nobis est, quae et *formales* sunt et insuper sunt *presso ac stricto sensu* iniuriae (2).

20. Demonstratio. I. Quando iniuria in eo est, ut inferatur, tunc iuris possessor 1.°) potest vim iniusti aggressoris vi repellere ad impediendum ne ius laedatur: 2°.) in hac vi contra iniustum aggressorem adhibenda potest etiam damnum, si hoc necesse sit, illi inferre. — Cum autem iuris possessor esse queat vel persona physica seu privata, vel persona moralis seu publica, i. e. vel *individuum* vel *societas* (3): quaestionem proprie instituimus de *individuo*, quod iuris existat subiectum. De privato enim maior est difficultas: et si ei vis coactiva competit ad suum ius defendendum, multo magis eadem competet unioni hominum.

Dixi 1°.) posse iuris possessorem vim contra iniustum aggressorem adhibere ad vim, quam ipse infert, elidendam, sicque impediendum, ne ius laedat. — Id autem proba-

(1) « Existimatur iniuria esse *in fieri*, quando — vel revera ipsa actio iniuriosa est in fieri, physice etiam loquendo, ut quando homo non est plene deiectus a possessionis suae iure — vel deiectus quidem est, tamen in continenti, idest sine notabili mora, procurat se tueri ac restituere. Cuius ratio est, quia quando aliquis est moraliter in actuali resistentia, et conatur, quoad potest, suum ius tueri, non censetur simpliciter passus iniuriam nec deiectus a sua possessione. » Ita Suarez, de carit. disp. XIII. sect. 1.

(2) Cf. super. th. II. pag. 39.

(3) Vide eamd. thes. II. pag. 37.

tur α) ex unanimi omnium hominum, praesertim vero legislatorum consensu. Hunc exstare consensum Innocentius III. expresse declarat hisce verbis (1): « Quamvis vim vi repellere omnes leges et omnia iura permittant, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam. » Item Alexander III. (2): « Cum vim repellere omnes leges omniaque iura permittant etc. ». Hinc in oratione pro Milone clamabat Tullius: « Est haec non scripta sed nata lex, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus, ut si vita nostra (quod autem de vita dicitur, potest debita cum proportione extendi ad cetera bona) in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis . . . Hoc et ratio doctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent ». — Arguitur β) ex eo quod, ut ait Card. de Lugo (3), « nihil magis quieti et paci humanae repugnaret, quam si scelerati impune possent quoslibet absque ulla resistentia laedere ». Unde sic licet arguere. Dicendum sane est legem naturalem ea concedere, quae quieti et paci humanae (quam quietem et pacem sane vult) sunt apprime necessaria. Atqui quieti et paci humanae apprime necessarium est, quod ius adsit vim iniuste illatam proportionata vi repellendi. Ergo lex naturalis hoc ius con-

---

(1) Cap. Significasti 18. de homicid.

(2) Cap. Si vero 3. de sent. excommunic.

(3) De iust. et iure disp. X. sect. VI. num. 137. Et num. 143. addit: « irrationabile, importabile ac communi bono contrarium id esset. »

cedit. — Adde etiam γ) quod, ut idem arguit auctor (1), « maius malum ipsis etiam iniquis accresceret ex licentia et occasione committendi graviora scelera: quare caritas ipsa dictat obviandum esse in radice his gravioribus periculis iniquorum, quod aliter fieri non potest, nisi sciant, licite posse ab iniuste invasis interfici ob tutelam et defensionem propriam ».

Dixi 2°.) possessorem iuris in ea vi adhibenda posse etiam damnum, si hoc necesse sit, iniusto aggressori inferre. — Hoc autem patet rursus α) ex unanimi legislatorum, omniumque hominum consensu, qui scilicet hoc pacto rem intelligunt et explicant, i. e. ita vim adhiberi posse, ut damnum etiam iniusto aggressori inferatur. — Patet β) ex eo quod vix umquam vis vi repelli potest absque damno aggressoris iniusti: unde nulla et irrisoria esset legis naturalis concessio, si in vi adhibenda damnum aggressori inferre non liceret. — Patet γ) ex eo quod lex naturalis, quae est lex divina, nequit non esse maxime aequa et summo in gradu rationabilis. Ex hoc scilicet principio sic arguimus. Quando alter per vim ius alterius impetit, nec eius aggressio potest vi propulsari, quin ei damnum inferatur, oportet, ut alteruter subeat damnum, aut iniustus iuris aggressor aut pacificus et innocens iuris possessor. Atqui ex his duobus aequum est et rationabile, ut damnum subeat potius iniquus, quam innocens, potius, inquam, ille qui causa est et quidem iniusta conflictus huiusmodi, in quo alteruter damnum subeat necesse est. Ergo dicendum est legem naturalem id omnino concedere. Si id lex naturalis vetaret, aggressorem dili-

(1) L. cit. num. 143. Ubi ex eo etiam arguit, quod secus omnia etiam bella defensiva essent iniusta.

geret prae innocente, sanciret quodammodo iniustitiam, atque aggressoris fieret complex (1).

At enim potestas haec, qua naturalis lex quemlibet armat in sui defensionem, quousque seu quantum se se porrigit? Anne se se protendit ad grave usque vulnus aut etiam necem iniusti aggressoris? His aliisque difficilioribus, utpote magis determinatis seu particularibus, quaestionibus satisfaciemus paulo inferius: quo loco alia etiam addemus argumenta ad ea, quae hac in thesi diximus, magis magisque confirmanda. Haec interim animadvertantur.

α) Illius, qui damnum infert, intentio debet esse *recta*, i. e. tendere, ut iam Innocentium III. loquentem audivimus, « non ad vindictam sumendam, sed ad iniuriam propulsandam »: aliis verbis, tendere ad bonum proprium, quod iniustùs aggressor abripere conatur, retinendum et conservandum, ita ut malum physicum, quod aggressori infertur, sit praeter intentionem inferentis et ab eo tantum permittatur.

β) Hinc illud dumtaxat damnum inferri licite potest, quod est *necessarium* ad iniuriam seu imminens periculum avertendum. Hoc exprimi vulgo solet iis verbis, servandum esse *moderamen inculpatae tutelae.* Itaque si possis verberando bonum tuum servare, certe nequis aggressorem vulnerare multoque minus interficere: intenderes enim malum proximi, atque ageres ex motivo ultionis et ex formali in proximum odio.

γ) Oportet insuper, ut inter damnum inferendum et bonum, cuius possessio defenditur, conveniens adsit proportio. Haec proportio, ut perspicuum afferamus exem-

(1) Cf. Tongiorgi, Eth. partic. num. 363.

plum, regulariter non intercedit inter conservationem unius aurei et grave aggressoris vulnus vel necem (1).

δ) Haec autem, quae diximus, sane valent de iniuria *formali* seu de aggressore *formaliter* iniusto, cuius nempe aggressio sit actus humanus, voluntarius et liber. Quid autem, quaeres, sentiendum est de iniuria *materiali*, seu de aggressore, puta de amente, qui iniustus quidem est, sed tantummodo *materialiter?* Haec scilicet una est ex illis difficilioribus quaestionibus, de quibus, ut diximus, data opera agemus paulo inferius.

ε) Eo tandem pacto, quo potes vi adhibita iniuriam a te repellere, potes etiam eamdem repellere a socio. Immo fieri quandoque potest, ut ad id praestandum te obliget caritas. Hinc s. Ambrosius (2) ait: « Qui non repellit iniuriam a socio, cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. »

II. Quando iniuria iam illata est et consummata, tunc ille, qui eam passus est, 1.°) ius habet exigendi a laesore congruam iniuriae acceptae reparationem, eamque 2.°) exigendi, vi etiam physica in laesorem adhibita, si scilicet laesor obligationem, qua tenetur, illatam reparandi iniuriam nolit sponte implere. — De modo autem vim physicam adhibendi, postea dicemus, utrum quis immediate *per seipsum* exercere eam possit, an vero mediate *per civilem auctoritatem*, via, ut aiunt, iudiciali.

Dixi 1.°) eum, qui iniuriam passus est, ius habere

---

(1) Hinc merito ab Innoc. XI. damnata fuit haec proposi io: « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.»

(2) Lib. 1. de off. cap. 36. in princ. Huc etiam faciunt Innocentii IV verba relata in C. Dilecto 6. de sent. excommunic. in VI.: « Cum liceat cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius iniuria suum impertiri auxilium, immo si potest et negligit, videatur iniuriantem fovere, et es‹e particeps eiusdem culpae etc »

exigendi a laesore congruam iniuriae acceptae reparationem. — Lex enim naturalis vult iustitiam. Sed « iustitia, inquit s. Augustinus (1), ea virtus est, quae sua cuique distribuit ». Ergo lex naturalis vult unumquemque habere quod suum est, nimirum retinere si iuste possidet, si vero iniuste amisit recuperare. Si quis e. g. iniuste ob acceptam furti iniuriam amisit equum, ius habet exigendi a fure restitutionem equi, necnon compensationem pro *lucro cessante* seu pro bonis quorum iacturam ex rei illius *demptione* est passus: siquidem illa etiam lucra seu bona erant sua.

Dixi 2.°) eum, qui iniuriam passus est, habere ius exigendi iniuriae reparationem, vi etiam physica in laesorem adhibita, si scilicet laesor nolit obligationem, qua tenetur, illatam reparandi iniuriam implere. — Et sane ille, qui iniuriam passus est, habet ius reparationem iniuriae a laesore exigendi mediis illis omnibus, quae et sunt ad obtinendam iniuriae compensationem necessaria et insuper nullius ius violant. Atqui usus vis physicae in iis, quae supponimus, adiunctis est α) medium ad obtinendam iniuriae reparationem necessarium, atque etiam est β) medium quod nullius ius violat. Ergo ille, qui iniuriam passus est, ius habet vim physicam adhibendi in laesorem ad illud, quod suum est, recuperandum. *Minor* quoad 1.m membrum est perspicua: supponimus enim laesorem, cum possit, nolle implere obligationem, qua tenetur, reparandi iniuriam. Quoad 2.m membrum sic probatur. Si quod ius violaretur, hoc ius foret illud, quod laesor haberet, exigendi ne vis physica ei inferatur. Atqui laesor non habet tale ius. Etenim in

(1) De civ. Dei l. XIX. c. 21.

tantum homo ius habet exigendi, ne quis vi physica a se auferat, e. g. hunc librum, in quantum habet in hunc librum ius, seu quia hic liber est suus: si non esset suus, sed alienus, non haberet tale ius erga legitimum libri illius dominum. Atqui id, quod laesor reddere non vult, non est ipsius sed alterius, illius nempe qui iniuriam passus est. Ergo laesor non habet ius ab eo exigendi, ne ille per vim physicam repetat id quod est suum.

Hic autem sistimus, plura paulo inferius dicturi de *specialibus*, quae moveri possunt, quaestionibus. Haec interim animadvertantur.

α) Vocabula, quibus usi sumus, *reparatio* seu *compensatio*, generica sunt. Duplex enim distingui potest reparatio seu compensatio iniuriae, *restitutio* et *satisfactio* (1). Prior illa est reparatio *damni* illati: altera est compensatio *offensae* illatae. Iamvero quae iniuriae non modo offensam inferunt alteri, sed etiam damnum, bonum aliquod a proximo *demendo* (2), eae inducunt onus *restitutionis*, idque etiam ante sententiam iudicis. Quae autem iniuriae non

---

(1) Apte Struggl, theol. mor. tract. VI. de iure et iust. q. VII. a. 2. num. 12.: «Restitutio a satisfactione *primario* differt per hoc, quod satisfactio sit compensatio offensae seu iniuriae personalis per aliquod obsequium, petitionem veniae, aut aliquam mulctam; restitutio vero sit compensatio damni iniuste illati. Item *secundario* differunt per hoc, quod restitutio sit actus iustitiae commutativae et ad illam obligemur ante sententiam iudicis: satisfactio vero pro pura iniuria sit actus iustitiae vindicativae, cuius exercitium pertinet ad publicam tantum potestatem. Unde ante sententiam iudicis non datur obligatio iustitiae ad satisfactionem ; ut cum s Thoma, Molina, et aliis docet Layman lib. 3. tract. 2. cap. 1. num. 3. Interim tamen ante sententiam iudicis ad satisfactionem pro pura etiam iniuria datur saepe obligatio caritatis aut alterius virtutis; ut communiter advertunt Theologi.»

(2) Cf. thes. II. pag. 41. adnotat. 1., ubi ex Varrone de etymo huius vocis, *damnum*, diximus.

proprie damnum, sed potius offensam alteri inferunt, eae non inducunt *per se* onus restitutionis, sed potius *satisfactionis*, e. g. per veniae petitionem, mulctam aliquam etc. Illae porro iniuriae vere inferunt damnum, quae sunt laesiones iuris seu iusti illius, quod est proprium iustitiae commutativae obiectum, quaeque, ut diximus (1), versantur vel in bonis fortunae vel in bonis famae et honoris vel in bonis vitae et corporis: hae stricto vocis sensu dicuntur iniuriae. Aliis verbis, iustitia *commutativa* est illa, quae obligat sub onere restitutionis (2). Ceterae vero iustitiae species (*legalis*, *distributiva*, *vindicativa*, si cui placeat hanc, quae ad distributivam reducitur, uti quartam

---

(1) Cf. eamd. thes. pag. 39.

(2) Cf. s. Thomam, 2. 2. q. 62. a. 1.: « Restitutio nihil aliud videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suae; et ita in restitutione attenditur aequalitas iustitiae secundum recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad institiam commutativam. Et ideo restitutio est actus commutativae iustitiae. quando scilicet res unius ab alio habetur vel per voluntatem eius, sicut in mutuo vel deposito, vel contra voluntatem eius, sicut in rapina vel furto ». Immo in responsione ad 2 m addit, restitutionem proprie dici de iniuriis circa exteriora fortunae bona; « Nomen restitutionis, inquantum importat iterationem quamdam, supponit rei identitatem. Et ideo secundum primam impositionem nominis, restitutio videtur locum habere praecipue in rebus exterioribus. quae manentes eaedem et secundum substantiam et secundum ius dominii, ab uno possunt ad aliud devenire. Sed sicut ab huiusmodi rebus nomen commutationis translatum est ad actiones vel passiones, quae pertinet ad reverentiam vel iniuriam alicuius personae seu nocumentum vel profectum; ita etiam nomen restitutionis derivatur ad haec, quae licet realiter non maneant, tamen manent in effectu vel corporali, puta cum ex percussione laeditur corpus, vel qui est in opinione hominum, sicut cum aliquis verbo opprobrioso remanet infamatus vel etiam minoratus in suo honore ».

iustitiae speciem admittere) obligant quidem, non tamen *per se loquendo* (1) cum onere restitutionis, sed congruae satisfactionis.

β) Cum autem iniuriae, ut iam saepius diximus, vel *formales* sint vel tantum *materiales*, sermo nobis est de prioribus. Si enim quis absque ulla prorsus culpa, nedum theologica sed etiam iuridica, i. e nulla omissa diligentia, damnum alteri intulerit, obligatione illud reparandi non tenetur. — Dices: nonne qui bona prorsus fide detinet rem alienam, is, errore detecto, eam domino reddere tenetur? Tenetur omnino: quia scilicet si post detectum errorem eam adhuc sibi retineret, iam scienter retineret alienum, seu iam iniuria ex materiali fieret formalis.

γ) Illud etiam adverte, iuris subiectum, societate constituta, non posse plerumque *per seipsum* exercere vim physicam còntra laesorem ad rem suam repetendam, sed *actionem* tantum habere apud legitimum iudicem civilem, a quo exigat, ut laesor cogatur ad ius laesum reparandum (2). Quaeres, undenam id constet, seu quaenam

---

(1) *Per se*, i. e. nisi eae, ut saepe fit, iungantur iustitiae commutativae. « Sic restituere tenetur magistratus vel iudex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur: quo in casu non solum reus est boni communis, ad quod iustitia legalis inclinat, sed etiam violati contractus, quo assumendo officium se *implicite* obligavit ad damna subditorum praecavenda ». Ita Gury, de iust. et iure part. 1. a. 3. num. 533.

(2) Huc facit decretum Marci, l. creditores 7. D. ad leg. Iul. de vi priv. (l. XLVIII. t. VII.): « Optimum est, ut, si quas putes te habere petitiones, actionibus experiaris; interim ille in possessione debet morari, tu petitor es; et quum Marcianus diceret: vim nullam feci; Caesar dixit: tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis est et tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non

sit restrictionis huius ratio? Quia scilicet naturalis lex vult pacem ac securitatem esse inter homines, et consequenter ea prohibet, quae illiusmodi paci ac securitati opponuntur. Atqui actum esset de pace et securitate inter homines, si privatus quisque posset per seipsum exercere contra laesorem vim materialem ad obtinendam iniuriae illatae reparationem: tunc enim — multi per vim exigerent compensationem iniuriarum, quae non sunt *verae*, sed tantummodo *existimatae* — alii vim facerent in eos, qui non sunt veri iniuriae illatae auctores — plures compensationem exigerent maiorem damno, quod reipsa illatum est — plurimi vim exercerent maiorem illa, quae necessaria est, vel etiam quando non est necessaria — et sic omnia suspicionibus, odiis, terroribus, insidiis, caedibus replerentur, seu iniuriae ad obtinendam iniuriarum compensationem in indefinitum multiplicarentur. Ergo provida naturae lex civilem instituit societatem, in eaque principem iudicemque civilem, ad quem privati ob acceptas iniurias recurrant, quique de iniuriae veritate decernat, de veris iniuriae auctoribus inquirat, eosque quando et quantum opus est cogat ad illatae iniuriae reparationem reddendam, omniaque haec peragat sine personarum acceptione partiumve studio. Hac itaque in re discrimen adest inter *privatam* personam et *publicam*. Nam, ut apte disserit Card. Bellarminus (1), « privati homines et qui superiorem habent, si ab aliquo iniurias accipiunt, pos-

---

per iudicem reposcit; non puto autem nec verecundiae nec dignitati tuae convenire, quidquam non iure facere. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam debitoris non ab ipso sibi traditam sine ullo iudice temere possidere, eumque sibi ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit ».

(1) De Laicis, l. III. c. 15. Cf. Liberatore, Ius nat. part. 2. cap. 1. num. 12. : Tongiorgi, Eth. partic. num. 371. seqq.

sunt ad superiorem confugere atque ab eo iudicium petere. At principes, si ab aliis principibus aliquid patiantur, non habent commune aliquod tribunal, ad quod illos accusent, et ideo licet eis bello iniurias publicas propulsare ».

δ) Civilis autem princeps, cuius ad tribunal recurrit privatus, debet eum, qui iniuriam intulit, tum cogere, ut dictum est, ad debitam *restitutionem*, tum etiam plectere proportionata *poena*. Qui enim actionem ponit *iniuriosam*, is duo facit, et insurgit contra ordinem a Deo statutum, et perturbat ius seu iustum alienum. Quatenus superbe se *attollit* contra legem a Deo latam, debet *deprimi*, et depressio fit per *poenam* (1): quatenus iniuste *perturbat* ius alienum, debet cogi ad illud in pristinum suum statum *restituendum*. Haec duo complectitur *vindicta*, scil. complectitur coactionem tum ad reparandum damnum tum ad subeundam poenam.

ε) Cum ergo quaeritur, *utrum vindicta de acceptis iniuriis sit licita necne*, duo praecipue sunt ob oculos habenda. — *Primo*, vindicta vel *publica* est vel *privata*, prout a publica auctoritate exercetur, vel directe exercetur a privato, qui scilicet per seipsum infert laesori malum physicum ad eum cogendum, ut congruam reddat iniuriae illatae reparationem vel ad eum puniendum. *Secundo*, vindicantis animus vel fertur principaliter in malum physicum laesoris et ibi quiescit ac de eo delectatur, vel fertur principaliter ad aliquod bonum, quod obtinetur per malum physicum laesoris, puta propriam indemnitatem, laesoris emendationem vel saltem cohibitionem, publicam securitatem, iustitiae conservationem, Dei hono-

---

(1) Cf. s. Thomam, 1. 2. q. 87. a. 1. Quem praeclarum locum attulimus super. vol. I. thes. XLVI. pag. 367.

rem. — Iamvero illicitum est velle et exercere vindictam *privatam*. Illicitum quoque est velle vindictam publicam, *sistendo principaliter in malo physico laesoris*: quia, ut s. Thomas ait (1), « delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. » At illicitum non est velle vindictam publicam (utique, iniuriae et crimini proportionatam), bonum, quod per damnum laesori illatum obtinetur, tamquam finem intendendo. — Itaque loca s. Scripturae (2), quae

---

(1) In 2. 2. q. 108. a. 1. Vide respons ad 4m., ubi duplicis generis iniurias sic distinguit: « Iniuria, quae infertur personae alicui, quandoque redundat in Deum et in Ecclesiam: et tunc debet aliquis propriam iniuriam ulcisci. (Id autem ostendit exemplis adductis Eliae, Elisei, Silverii Papae). Inquantum vero iniuria in aliquem illata ad eius personam pertinet, debet eam tolerare patienter, *si expediat*. Huiusmodi enim praecepta patientiae intelligenda sunt secundum praeparationem animi, ut Augustinus dicit in lib. I. de serm. Domini in monte cap. 19. et seq. » Tolerare quidem patienter iniurias debemus: sed vindictam non expetere, hoc quandoque non expedit sive ad immunitatem eius qui laeditur, sive ad cohibitionem laedentis, sive ad communem securitatem.

(2) Haec loca sunt praecipue illa, quae exstant in ep. ad Rom. cap. XII. — In v. 17. legitur: *Nulli malum pro malo reddentes* sc. sitis. « Sed hoc, ita s. Thomas in comment. in praed. epist., intelligendum est *formaliter*: prohibemur enim affectu odii vel invidiae reddere malum pro malo, ita quod in malo alterius delectemur, Sed si pro malo culpae, quod quis facit. reddat iudex malum poenae secundum iustitiam ad compensandam malitiam, *materialiter* quidem infert malum, sed *formaliter* et per se infert bonum. Unde cum iudex suspendit latronem pro homicidio, non reddit malum pro malo, sed magis bonum pro malo ». — In v. 19. legitur: *Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae* sc. committite vos iudicio Dei, qui potest vos defendere et vindicare. « Sed haec, ita s. Thomas l. c., intelligenda sunt in casu, in quo nobis non adest facultas aliter faciendi secundum iustitiam. Sed quia,

nos monent, ut iniurias haudquaquam vindicemus, vel consilium continent, non vero praeceptum: vel si praeceptum continent, excludunt vindictam privatam, non autem publicam: vel si publicam reprobant, eam scilicet reprobant, quae sit perpetrato sceleri improportionata, quaeve, ut saepe contingit, ex formali in proximum odio appetatur.

21. SCHOLION. Ex dictis constat, in quo *defensio* contra iniustum aggressorem et *reparatio* damni illati differant a *punitione* seu poena: poena autem definitur, malum passionis seu privationis delicti causa etiam in invitos auctoritate sociali inflictum (1).

Defensio respicit *iniuriam* eamque *in fieri*, et tendit ad eam *impediendam ne fiat*. Punitio respicit *crimen* illudque *iam perpetratum*, et tendit ad illud *expiandum* in

---

ut dicitur, Deut. 1., *Domini est iudicium*, cum aliquis auctoritate iudicis vel vindictam quaerit ad comprimendam malitiam et non propter odium, vel etiam cum auctoritate alicuius superioris suam defensionem procurat, intelligitur *locum dare irae*, id est, divino iudicio, cuius ministri sunt principes: ut dicitur inf. cap. XIII. *Dei minister est: vindex in iram ei, qui malum agit*. Unde etiam Paulus procuravit se per armatos defendi contra insidias Iudaeorum, ut patet Act. XXIII. » - In eodem v. 19. legitur: *Mihi vindictam* sc. servate, *et ego retribuam*, i. e. vindictam volo reservatam mihi et principibus terrenis, quibus tamquam ministris meis potestatem vindicandi iniurias communico, et ad quos privati recurrere debent ut per eos vindicent acceptas iniurias. Cf. s. Th., 2. 2. q. 108. a. 1. ad 1.m

(1) Poena consistit in amissione eorum, quae homo maxime diligit. « Haec autem, inquit s. Thomas, 2. 2. q. 107. a. 3., sunt, quae homo maxime diligit, *vitam*, *incolumitatem corporis*, *libertatem sui* et *bona exteriora*, puta *divitias*, *patriam* et *gloriam*. Et ideo, ut Augustinus refert, de civ. Dei l. XXI. c. 2., octo genera poenarum in legibus esse scribit Tullius, scil. *mortem*, per quam tollitur vita, *verbera* et *talionem*, ut scil. oculum pro oculo perdat,

sontem (1), qui scelus perpetravit. — Defensio tendit ad *retinendum* bonum *proprium*: et proinde ille, qui defensione utitur, non *intendit* malum physicum, quod aggressori infert, sed *permittit*. Punitio tendit ad *obtinendum* bonum *restaurationis* ordinis moralis, quem crimen violavit: et proinde ille, qui punit, *intendit* malum physicum, quod reo infert, non quidem ut *finem*, sed ut *medium* ad illud redintegrationis bonum consequendum. — Defensio non praesupponit eum, qui illam exercet, habere *auctoritatem* seu *iurisdictionem* in alterum, cui malum infert. Punitio e contrario talem superioritatem praeexigit.

Restitutio seu reparatio damni, illa etiam quae a civili auctoritate imponitur, — actionem iniuriosam considerat, prout ea est *laesio iuris* seu iusti alieni — et actus est iustitiae *commutativae*. Punitio autem actionem iniuriosam spectat, prout ea est *violatio legis* et contemptus legislatoris — et actus est iustitiae *vindicativae* (2), quae secus ac commutativa praeexigit superioritatem in eum, in quem exercetur.

---

per quae amittit quis corporis incolumitatem, *servitutem* et *vincula* per quae perdit libertatem, *exilium*, per quod perdit patriam, *damnum*, per quod perdit divitias, *ignominiam*, per quam perdit gloriam ».

(1) Hic usus verbi, *expiare*, reperitur apud probatos auctores. Sic Cicero, Pis. 35., ait: « Tua scelera Dii immortales in nostros milites expiaverunt, » h. e. nostros milites puniendo. — Punitio (hanc addam animadversionem) tendere etiam solet, sed potius *secundario*, ad impediendum ne crimen *fiat iterum* a reo vel ab aliis. Et sic poena est saepe non modo *expiatoria*, sed etiam *medicinalis* et *exemplaris*. Cf. super. vol. I. thes. XLVI. pag. 365., ubi de sanctione legis naturalis locuti sumus.

(2) Iustitia *vindicativa* est illa, quae inclinat Principem ad son-

Ut huius capitis ordinem ob oculos ponamus, — *iuris* praestituto *etymo*, multiplices eius *acceptiones* ac *partitiones* deduximus (thes. I. et II.): — item *officii* assignato *etymo* (1), eius *notionem* ac praecipuas *divisiones* deteximus (thes. III.): — tum vero inquisivimus, quaenam *obiective* sit *origo* iuris et officii (thes. IV.), — et quodnam *quoad nos* sit *principium cognitionis* eorumdem thes V.): — tandem de iuris *proprietatibus*, ut eae dici solent, egimus atque has solvimus quaestiones, an *limitatio* sit naturalis conditio iuris cuiuslibet humani et quinam sit modus eos limites dignoscendi (thes. V. schol.), — an iura humana venire in *conflictum* queant, quidque de ea collisione sentiendum sit, quidve in ea sit agendum (thes. VI.), — utrum iuri humano *vis coactiva* competat, tum ad impediendum ne iniuste laedatur, tum ad exigendum ut si iniuste violatum fuerit reparetur (thes. VII.). Occasione autem capta, alias etiam solvimus quaestiones: quid sit et quotuplex sit *iniuria* (thes. II. schol.), — utrum officia dentur *erga bruta* (thes. III. schol.), — utrum ius et officium, sicut *tempore*, ita etiam *natura* et *cognitione* sint simul, an vero alterum altero prius (thes. V. schol.) etc. Alia, quae addi potuissent, aliis locis trademus (2): sic enim citius et plenius, ut nobis visum est, a

---

tes proportionatis poenis pro societatis bono plectendos. Haec, ut alio loco iam diximus, communius non habetur a Doctoribus uti quarta iustitiae species, sed potius revocatur ad *distributivam*, quatenus congruas criminum gravitati poenas infligit.

(1) Circa etymon vocabuli huius *officium*, sententiam secuti sumus, quae probabilior nobis visa est. Alii vocabulum illud derivant ab *efficiendo*. Ita Isidorus, l. 6. Etym. c. 18. in princ.: « Officium ab *efficiendo* est dictum, quasi officium, propter decorem sermonis, una mutata littera. »

(2) E. g. de falsis aliis circa ius et officium opinionibus, in *tertia* parte, quae *historica* erit, agemus, nominatim de definitione

discipulis intelligentur. Neque enim oblivisci debemus illam Tullii sententiam (1): « Non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars est etiam docendi. »

Iam itaque a quaestione de iure officioque *in genere* spectatis progredimur ad quaestionem *particularem:* quaenam *in specie* sint naturalia hominis iura et officia. — Visne naturalia haec hominis iura et officia uno veluti intuitu perspecta habere? Naturales respice relationes: eas nempe, quas homo habet — ad Deum, utpote suum auctorem — ad alios homines, utpote sibi aequales sibique socios — ad semetipsum. Has enim relationes seu hunc naturalem ordinem lex naturalis « conservari iubet perturbari vetat, » praecipit nimirum, ut illud fiat illudque omittatur, quod naturales eae relationes fieri exigunt vel omitti. Ex hoc autem naturalis legis praecepto enascuntur officia tum individualia tum socialia erga Deum — iura officiaque individualia item et socialia erga alios homines, ac demum — hominis officia erga semetipsum.

---

iuris a Kant tradita: *ius est potestas eliciendi eas actiones, quarum exercitium, quamvis universale, coexistentiam aliorum, prout entia libera sunt, non impedit.* Unum de hac definitione iuris hoc loco animadvertam: multae possunt esse et sunt actiones, quae aliorum coexistentiam et libertatem non impediunt, quin tamen ius ad eas ponendas dari queat, eo quod prohibeantur lege naturali, utpote de se malae, vel eo quod lege positiva vetentur.

(1) De leg. l. II. c. 19.

CAPUT II.

DE IURIBUS OFFICIISQUE INDIVIDUALIBUS.

ARTICULUS I.

De officiis hominis erga Deum.

22. Nulla sane fit quaestio de *iuribus erga Deum*, quae scilicet, ut paulo ante (1) diximus, nec dantur nec dari ullo pacto possunt. Itaque quaestio est tantummodo de *officiis*, quibus creatura intelligens Deo creatori suo ac supremo gubernatori adstringitur.

23. Haec autem erga Deum officia duplicis sunt generis, nimirum *individualia* et *socialia*. Priora sunt moralia illa erga Deum debita, quorum subiectum est homo isque inspectus ut individuum est seu persona physica: altera vero sunt ea moralia debita erga Deum, quorum proprium subiectum est humana societas, e. g. familia vel civitas, formaliter inspecta, qua talis (2). Neque enim humanae societates, familia praesertim et civitas, ut suo loco ostendemus, minus quam individua, tenentur Deum suum principium finemque ultimum revereri. — In hoc itaque articulo tantum de *individualibus* seu privatis ho-

---

(1) Cf. thes. IV. pag, 61. — Deus, utpote supremus rerum omnium creator simul et gubernator, non subiicitur ulli legi, sed est *ipsa lex* distribuens iura, imponens officia.

(2) Simili pacto iura, ex parte *subiecti*, distinximus in iura *individualia* et *socialia*: vide thes II. pag. 37.

minis erga Deum officiis sermonem habebimus, de *socialibus* erga Deum officiis acturi in capite sequenti.

24. Haec porro naturalia ac privata officia non omnia sunt unius eiusdemque rationis. Alia enim *immediate* consequuntur ipsam naturam hominis, qui ex eo tantum quod existit, iam, nulla alia facta hypothesi, iis moraliter adstringitur: tale est e. g. officium colendi Deum, eique gratias agendi. Alia vero in natura *mediate* fundantur, i. e. praeter factum nativitatis seu existentiae hominis praesupponunt et consequuntur factum aliud, nempe liberam humanae voluntatis determinationem vel divinae factum revelationis: huiusmodi sunt officia, Deum ut par est invocandi, si quis velit Deum in veritatis testimonium invocare, promissa seu vota servandi, si quis velit Deo se se votis obstringere, superrationalibus veritatibus adhaerendi, quas Deus voluerit homini revelare. Prioris generis officia dici possunt *essentialia,* quatenus *immediate* conserta sunt cum ipsa natura: alterius autem generis officia dici queunt *accidentalia,* quatenus accidunt naturae in suo esse iam constitutae. — Haec alterius generis officia multi auctores appellant *hypothetica,* priora vero vocant *absoluta.* Sic inter alios Taparelli (1), qui hanc, quam sibi proponit, quaestionem, « quonam pacto fides Deo revelanti dici possit officium *naturale,* » sic solvit: « fides Deo revelanti dici potest officium *naturale,* si non *absolutum,* certe *hypotheticum,* nempe supposito quod Deus loquatur. » Haec autem officia hypotetica, id quod sedulo est animadvertendum, verificata hypothesi sive conditione

---

(1) *Corso elem. di nat. diritto,* l. II. c. 2. num. 94. — Vide divisionem iurium super. traditam thes. II. pag. 35., in *congenita* et *acquisita.* Huic enim iurium divisioni haec, quam tradimus, officiorum partitio respondet.

impleta, aequivalent absolutis seu, ut dici passim solet, in officia absoluta transeunt.

25. En igitur rerum hoc in articulo pertractandarum series atque ordo. Quatuor hic articulus paragraphis constabit. Agemus *primo* de iis erga Deum officiis, quae essentialia sunt, seu ipsam hominis naturam immediate consequuntur: *secundo* loquemur de officiis illis, quae liberum aliquod ex parte hominis factum praesupponunt: *tertio* de iis disputabimus officiis, quae ex parte Dei supponunt factum divinae revelationis: *quarto* tandem *de religione,* ad modum perspicui ex tribus prioribus paragraphis corollarii, disseremus.

26. Antequam manum his solvendis quaestionibus admoveamus, operae pretium est animadvertere, haec erga Deum officia *primatum* cetera inter naturalia debita habere: primatum, inquam, tum *dignitatis,* tum *roboris*, tum *originis.* Primatum habent dignitatis: terminus enim, in quem immediate referuntur, est Deus O. M., quo nihil praestantius potest cogitari. Insuper primatum habent roboris: titulus enim, in quo proxime innituntur, sunt naturales hominis ad Deum relationes, quibus nihil firmius concipi potest. Habent etiam primatum originis: nullum enim erga nos vel erga alios debitum haberemus, si prius non teneremur hoc erga Deum officio, ei scilicet plene et in omnibus obtemperandi. Neque enim datur morale debitum sine obligatione: omnis autem obligatio est a Deo eiusque aeterna lege. — Hunc autem triplicem primatum cum habeant; impii profecto sunt et apprime inepti ii omnes, qui de officiis agentes, officia quidem erga alios homines patriamque extollunt, moralia etiam debita adstruunt erga ipsa bruta, simul vero de supremo Dei in hominem iure silent, omnia erga Deum officia praetereunt, haudraro etiam superbe negant. Absit ut hos imitemur: immo e contrario quanta possumus diligentia perscrutemur officia

haec erga Deum — quorum custodia ad aliorum quoque officiorum observationem nos necessario adducit — transgressio vero ad ceterorum quoque violationem impellit.

§. I. De iis hominis erga Deum officiis, quae cum ipsa hominis natura sunt immediate connexa.

Thesis VIII.

Deus absolutum et essentiale habet in hominem dominium, cui respondet in homine absolutum et essentiale officium reverendi atque honorandi Deum, eique in omnibus obediendi.

27. Demonstratio. Deus est hominis — creator — conservator — finis ultimus. Haec tria si perpendantur, id, quod hac in thesi statuimus, illico patebit.

I. Fides et naturalis ipsa ratio nos docent, Deum esse *creatorem* hominis. Ipse est, qui corpus hoc corruptibile ac mortale plasmavit, hanc animam simplicem et immortalem e nihilo eduxit, eamque huic corpori coniungens effecit admirabile hoc ex materia et spiritu compositum, quod est homo. « Creavit Deus hominem ad imaginem suam » (1). — Atqui si Deus est hominis creator, est eo ipso etiam *dominus* hominis. Nam duplex est effectionis modus, nempe vel ex *aliquo* vel ex *nullo* praeexistente subiecto. Iamvero artifex, qui primo effectionis modo operatur (e. g. sculptor, qui statuam fingit

---

(1) Gen. I. 27. — Hanc veritatem, *Deum esse hominis creatorem,* Theologia etiam *naturalis* docet: ab hac autem scientia, cui Ethica subalternata est (v. vol. I. Prologum pag. X.), iure meritoque veritatem hanc assumimus.

ex marmore), acquirit sane dominium in opus a se effectum: illud enim opus est *suum,* et in id, quod est *suum,* unusquisque ius habet. At multo magis tale dominium competit illi, qui altero productionis modo, i. e. per *creationem* (1), aliquid facit. Dixi, *multo magis.* Etenim opus ab aliquo per creationem effectum multo magis est *suum*, i. e. eius qui e nihilo illud eduxit, nempe est *suum,* non iam tantummodo quoad dispositionem partium vel compositionem, sed *quoad ipsam totam realitatem.* Quare dominium, quod creator in rem a se creatam habet, est dominium *absolutum,* non autem tantummodo *secundum quid,* est dominium *essentiale,* non autem *accidentale* (2). — Cum Deus sit dominus hominis, constat Deum habere erga hominem ius ad reverentiam et obedientiam: dominus enim habet ius exigendi a servo cultum atque servitium. Hoc autem ius est in Deo *abso-*

---

(1) Creatio definitur *productio seu effectio ex nihilo.* Voces hae, *ex nihilo,* secernunt creationem ab aliis effectionis modis. Eae tamen sunt recte intelligendae. Neque enim significant nihilum esse subiectum, ex quo res fit: sed denotant creationi nihil seu nullam omnino realitatem praesupponi, ex qua res fiat. Itaque creatio est productio rei, quae nullo modo efformatur ex aliquo subiecto seu materia ante ipsius productionem existente. Definiri etiam solet, *productio entis secundum totam suam realitatem*, vel, *productio totius esse*, vel, *productio entis inquantum ens.* Quae omnia, ut liquet, significant idem, quamvis diversimode. Lege s. Augustinum, Confess. XI. 5.

(2) « Est Deus dominus non per accidens, sicut hominis homo, sed per naturam. » Ita s. Thomas, contra gent. l. III. c. 119. — Cum dominium Dei in creaturas sit *essentiale,* hinc Deus non potest a se illud abdicare. Ad rem De Lugo, de iust. et iure disp. II. sect. I. num. 4.: « Quod homo possit dominium a se abdicare, et in alium transferre, non est perfectio, sed imperfectio dominii, eo quod non essentialiter sed accidentaliter sit dominus illius rei. Deus vero, qui essentialiter est dominus, non potest non esse dominus.»

lutum et *essentiale,* cum Deus, ut dictum est, sit hominis dominus absolutus et essentialis. Huic porro iuri, ut per se patet, respondet in homine officium, illudque *absolutum* et *essentiale,* colendi Deum eique in omnibus, quae lege sive naturali sive positiva praecipit, obtemperandi.

II. Hoc argumentum confirmatur ex eo, quod Deus sit non modo creator, sed etiam *conservator* hominis. Conservatio, si *active* eam spectes, est actio, qua fit ut res successive in suo esse permaneat. Est autem duplex, *indirecta* et *directa.* Indirecta est, quum actio causae hoc praestat unum, remotionem eorum, quae sive impediunt conservationem rei, sive causant eius destructionem: e. g. solers medicus qui lethalem tuo e corpore morbum pellit, vel amicus qui te ne in flumen cadas retinet, te conservare, sed *indirecte,* dicuntur. Est directa seu immediata, cum causa influxu suo sustentat rei existentiam, ita ut eo influxu cessante res ipsa desineret. Iamvero homo non solum indirecta, sed etiam directa et perpetua Dei conservatione indiget, ut esse pergat (1). « Dependet, sic loquitur s. Thomas (2), esse cuiuslibet creaturae a Deo, ita quod nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione divinae virtutis sustentarentur, sicut Gregorius (3) dicit. » Quare ut

---

(1) Hanc quoque veritatem Theologia etiam naturalis docet, ab eaque nos uti demonstratam assumimus.

(2) In 1. p. q. 104. a. 1

(3) L. XVI. Moral. c 16. — Has addam comparationes ex Lessio, de perf. mor. div. l. X. cap. III. num. 20.: « Sicut ut mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necesse est ut illud assidue conservet, continuando primum influxum. Si enim vel unico momento vim suam cohiberet, repente totum lumen extingueretur. Similiter si pondus aliquod in aere suspendas, illud assidue sursum teneri et eodem impetu ibi conservari debet, quo ab initio ibi est suspensum. »

homo desinat esse seu annihiletur, non requiritur actio Dei positiva, sed sufficit cessatio actus conservantis. — Quibus praestitutis, sic licet arguere. Si ille, qui tantummodo indirecte alterum conservat (e. g. qui puerum ne in ignem cadat retinet), ius erga alterum acquirit ad laudem, gratum animum, obsequium; quale quantumque ius erga nos non habet Deus, qui tanto iam tempore non solum indirecte sed etiam directe assidua nos operatione conservat? — Quod ut plenius intelligas, animadverte conservationem hanc directam, secus ac indirectam, esse quamdam continuatam creationem seu melius *continuationem creationis*: est nempe actio, qua non quidem repetitis seu iteratis creationibus, sed continua operatione esse illud, quod primo datum est, sustinetur. Quare conservatio differt a creatione, ut linea a puncto unde incipit, vel ut tempus ab eius principio. Quae cum ita sint, dici profecto potest, ius illud, quod Deus in hominem habet, quando eum primo creat, toties magis magisque roborari ac veluti in immensum multiplicari, quot sunt temporis momenta, quibus homini a se condito existentiam protrahere seu prorogare non cessat: vel etiam tot esse divini in nos iuris titulos, quot sunt momenta, quibus nos in esse conservavit atque adeo conservat.

III. Praeterea Deus est non modo creator et conservator, sed etiam *finis ultimus* (1) hominis. « Ius illud, praeclaris utar verbis Lessii (2), quod ex hoc capite com-

---

(1) Hanc veritatem in capite primo superioris partis fuse demonstravimus.

(2) Op. et lib. nuper cit. cap. 5. num. 55. Hoc in libro de dominio Dei tractat, et quatuor divini dominii titulos perpendit, creationis, conservationis, redemptionis, finis ultimi. Loquitur etiam de titulo *redemptionis*, quia theologum agit. Validissimus sane est hic

petit, est maximum, adeo ut maius animo concipi nequeat. Nam etiamsi fingeremus creaturam non pendere a Deo tamquam a causa efficiente aut conservante; tamen si ponamus ipsum esse ultimum finem illius, summam in illam auctoritatem et potestatem habebit. Auctoritas enim finis quodammodo maior est, quam auctoritas causae effectricis, cum haec a fine ad operandum moveatur, et omnem rationem operandi, omnemque modum et mensuram operis a fine accipiat. Unde finis est causarum prima, cuius gratia omnia fiunt et ceterae causae ad productionem applicantur. Sicut ergo homo potest uti rebus inferioribus, quae ad ipsius commodum creatae sunt, pro suo arbitratu, ut pecunia, frugibus terrae, pecoribus, quia est finis earum et ipsius gratia factae sunt, quamvis ipse earum non sit auctor; ita Deus potest uti universa creatura pro suo arbitrio, nec quisquam potest queri de iniuria, cum omnia sint ipsius gratia. » Quae comparatio est, ut patet, argumentum a minori ad maius. Nam Deus

---

titulus. Qui enim alterum a servitute redimit, is in illum habet ius, ius autem tanto validius, quanto durior est servitus, in qua alter iacebat, et maius est pretium, quod ad eum liberandum redemptor solvit. Iamvero in triplici iacebamus servitute, *peccati diaboli mortis:* Christus autem nos redemit *pretio magno* (1. Cor. VI. 20.), *dando semetipsum pro nobis* (ad Tit. XI. 14.). — Motiva amandi Deum enumerat Dantes, Par. XXVI., hoc pacto:

. . . . Tutti quei morsi,
Che posson far lo cuor volger a Dio,
Alla mia caritate son concorsi.
Chè l'essere del mondo, e l'esser mio,
La morte ch' el sostenne perch' io viva,
E quel che spera ogni fedel, com' io,
Con la predetta conoscenza viva,
Tratto m' hanno del mar dell' amor torto,
E del diritto m' han posto alla riva.

— est *auctor* earum rerum, quarum est finis — est finis earumdem *ultimus*, non autem tantummodo proximus — earumque finis est *essentialiter* atque *intrinsece*, non autem ex extrinseca ac benigna alicuius ordinatione: haec vero tria homini non competunt.

Alios, qui addi possent, divini in nos dominii titulos (1) praetermittimus, memores illius Aristotelis moniti (2): *Οὐ δεῖ δὲ πᾶν πρόβλημα οὐδὲ πᾶσαν θέσιν ἐπισκοπεῖν, ἀλλ' ἣν ἀπορήσειεν ἄν τις τῶν λόγου δεομένων καὶ μὴ κολάσεως ἢ αἰσθήσεως.* Non oportet autem nos omne problema nec omnem thesim in quaestionem vocare, sed de qua quaerat aliquis eorum, qui *ratione* indigent, non autem *poena* aut sensu. Exemplum autem theseos, de qua dubitanti imponi debet *poena,* non autem *dem nstratio*

---

(1) De *concursu* e. g. nihil diximus. — Concursus potest esse *physicus* vel *moralis*: est physicus, quando quis ut causa *physica* influit in productionem effectus: est moralis, quando quis in eam influit ut causa *moralis*, e. g. iussione, precibus, minis etc. (cf. vol. 1. thes. XVII. pag. 150. adnot. 1m., ubi explicavimus divisionem causae in *physicam* et *moralem*). Rursus concursus potest esse *mediatus* vel *immediatus*: est mediatus, quando quis alteri dat aliquid, quod confert ad productionem effectus, e. g. si quis gladium praebet sicario ad occidendum: est immediatus, quando quis actione sua directe influit in ipsam alterius actionem et productionem effectus. — Iamvero homo sicut indiget Dei conservatione ut existere pergat, ita indiget *physico* et *immediato* Dei concursu, ut aliquid agat. Inde autem rursus in homine enascitur officium colendi et amandi Ens illud, sine cuius physico et immediato influxu ea, quae agit, minime opeararetur.

(2) Vide super. vol. I. th. XIX. pag. 167. Ipse Hobbes, de homine cap. 14., « neque enim, ait, an honorifice de Deo sentiendum sit, neque an sit amandus, timendus, colendus dubitari potest. » Vide etiam, quae ex ipso Voltaire adduximus, super. vol. I. thes. XXXIII. pag. 277.: « D' un bout du monde à l' autre elle (la loi naturelle) parle, elle crie: *Adore un Dieu*, sois juste et chèris ta patrie. »

afferri, adducit hoc: si quis dubitet, *utrum dii sint colendi necne*, πότερον δεῖ τοὺς θεοὺς τιμᾶν ἢ οὔ. — Unum addam. Demonstravimus Deum esse dominum hominis. At *qualis* dominus est? Dominus est tum in se perfectissimus, tum etiam erga nos maxime liberalis, qui scilicet cum infinita sapientia ac potentia summam iungit beneficentiam erga nos atque benignitatem. Haec Dei benignitas in eo, ut cetera omittam, maxime cernitur, quod cum posset plurima eaque gravissima nobis imponere praecepta, pauca imposuit et facilia, quaeque ipsa naturae rectitudo exigit: omnia enim reducuntur tandem ad duo haec, ut Ipsum amemus et proximum propter Ipsum diligamus. Qua in re nemo non videt, quantum a Deo differant domini terreni, qui ut insipientes et imbecilles, ita avari saepe sunt atque austeri. Si ergo servi debent, ut iubet Apostolus (1), « obedire dominis carnalibus cum timore (interius) et tremore (exterius) »; quanto magis homo debet timere (2) Deum eique obtemperare.

---

(1) Ephes. VI. 5.

(2) Cum timor, quaerere quis posset, habeat pro obiecto *malum*, Deus autem sit *ipsum bonum*, quomodo possumus timere Deum? — Respondeo, nos timere malum et insuper timere etiam manum, quae malum inferre potest. Iamvero timemus Deum, non quidem in se ipso, sed ob malum, quo potest nos afficere, i. e. ob poenam, qua potest punire et certo puniet culpam. Hunc Dei timorem non habere, dementis est. Ut enim ait Dantes, Inf. II.:

> Temer si deve sol di quelle cose,
> C' hanno potenza di fare altrui male;
> Dell' altre no, che non son paurose.

At nemo, ut Deus, potest nobis nocere. Nam Ipse, secus ac homo quivis, potest nos punire in omni loco, in aeternum, quoad omnia, etiam quoad animam. Hinc dixit Christus Dominus, Luc. XII. 4-5.: « Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non ha-

Itaque quodcumque supremi Numinis attributum spectemus, hoc semper colligimus, Ipsum esse a nobis honorandum. Et sane Deum revereri debemus, ut ens supremum — colere, ut existentiae vitaeque nostrae principium — amare, ut bonum summum — timere, ut potentem — orare, ut omnium arbitrum — fiduciam in eo ponere, uti sapientissimo provisore ac gubernatore — ei gratias agere, uti benefactori maximo — ei obedire, uti primo legislatori — ei servire, ut domino absoluto.

Thesis IX.

Iure naturae tenetur homo non modo internis, sed etiam externis actibus Deo auctori suo cultum exhibere.

28. Praenotiones. Explicandum primo est, quid sit *cultus Dei.* — Colere Deum dicimur, quando reverentiam Ipsi et honorem (1) tribuimus. At duplici modo possumus Deum honorare, *indirecte* tantum seu *de consequenti* et *directe* seu *formaliter.* Priori modo toties Deum honore prosequimur, quoties honeste agimus divinam Dei legem implendo: sicut enim qui violat legem offendit regem,

---

bent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. » — Haec ad animis inculcandum timorem Dei, qui est « *initium sapientiae* » i. e. causa disponens ad sapientiam vel etiam primus huius effectus.

(1) « *Reverentia,* inquit s. Thomas, 2. 2. q. 103. a. 1. ad 1m., non est idem quod *honor.* Sed ex una parte est primum *motivum* ad honorandum: inquantum scilicet aliquis ex reverentia, quam habet ad aliquem, eum honorat. Ex alia vero parte est honoris *finis:* inquantum scilicet aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentia habeatur ba aliis. »

ita qui legem custodit honorat legislatorem, eius dominium et auctoritatem practice recognoscendo. Altero autem modo honoramus Deum, quando aliquid Ipsi exhibemus *expresse* in recognitionem supremi, quod in nos habet, dominii. — Ex his patet, quid proprie loquendo sit cultus Dei. Scilicet, quamvis latiori sensu omnis actus honestus, eo quod est divinae legis custodia, dici queat cultus; tamen sensu proprio ac presso cultus est exhibitio alicuius, e. g. prostrationis seu humiliationis corporis, Deo facta expresse ac formaliter in protestationem nostrae ab eo dependentiae plenaeque servitutis (1).

Hic porro Dei cultus distinguitur duplex, *internus* et *externus* (2). Duplici enim modo possumus Deum recognoscere ut supremum dominum, nostramque Ipsi servitutem profiteri: α) actibus mere internis, qui nempe in animo maneant nec exterius manifestentur, e. g. humili mentis devotione: β) actibus etiam externis, qui scilicet sint interni cultus sensibiles expressiones et visibiles manifestationes, ut verbis, corporis humiliatione, rerumque externarum oblatione (hi enim sunt tres praecipui modi externe Deum colendi).

Iamvero in comperto est, hominem naturali lege obligari ad exhibendum Deo cultum *internum*. Hoc omnino patet ex thesi praecedente: qui est servus Dei, et quidem

---

(1) « Colere Deum, ita s. Thomas, in 3. sent. dist. 9. q. 1. a. 1., est aliquid exhibere Deo in protestationem servitutis: » sicut feudatarius aliquid reddit domino in recognitionem dominii.

(2) Ut ait Suarez, de virt. et statu Religionis tract. 1. l. II. c. 2. n. 2., « cultus solum dicitur *internus* vel *externus*, quia intus in anima vel extra per corpus fit: uterque autem cultus dici potest actus externus ipsius Religionis, quia sic denominatur per habitudinem ad virtutem tamquam ad principium suum quodammodo extrinsecum seu remotum. »

essentialiter, coram Ipso, qui inspector est cordium, debet intimo animi affectu suam recognoscere ac profiteri servitutem absolutam. Quaestio igitur esse potest tantummodo de cultu *externo:* utrum scilicet interior illa cordis professio sufficiat necne, i. e. utrum legis naturalis praeceptum de supremo Numine colendo, praeter cultum *internum,* respiciat quoque et complectatur cultum *externum,* ita ut naturale officium colendi Deum non impleat ille, qui vellet solis internis actibus Deum tamquam dominum recognoscere. Hanc quaestionem solvit haec thesis.

Qua tamen in thesi, cum duplex sit cultus externus, alter *publicus* seu *socialis,* alter *privatus* seu *individualis,* sermo tantum est de necessitate cultus externi privati: alio enim loco cultus etiam publici necessitatem vindicabimus (1), ea, quae modo dicemus, ab individuo ad societatem, paucis mutatis seu additis, transferentes et aptantes.

29. Demonstratio. Cultus externus duplici ex capite est necessarius ac debitus — ratione cultus interni — ratione sui.

I. Cultus externus est necessarius ac debitus *ratione cultus interni,* quem naturali lege praecipi constat. Est enim tum naturalis *fructus* cultus interni, tum naturale *medium* ad cultum internum, iuxta illud Suaresii (2): « Per sensibilia signa homo et suo affectui quodammodo satisfacit, et rursus per eadem in illo interiori affectu confirmatur et crescit. »

---

(1) Vide super. numer. 23. pag. 99. — Ut patet, cultus *publicus* non definitur, ille qui publice exhibetur (siquidem ipse cultus privatus potest publico in loco exerceri), sed ille qui a societate qua tali seu actu sociali Deo praebetur.

(2) Op. nuper cit. tr. II. l. 1. c. 1. num. 9.

Est α) naturalis *fructus* seu consequentia cultus interni. — Scilicet, fieri quidem potest, ut alicuius in corde nullus exstet reverentiae ac pietatis affectus erga supremum Numen: sed nequit contingere, ut vere in animo sit internus erga Deum cultus, qui tamen non se prodat frequenter per verba, prostrationes, oblationes, aliaque externa signa. Quare, dato etiam (quod est apprime falsum), nullam actus cultus externi praeseferre *utilitatem*, naturalis tamen foret eos actus ponendi *necessitas*. — Cuius necessitatis ratio repetenda est ex *substantiali animae corporisque unione:* qua nimirum fit, ut vehemens voluntatis affectus redundet in appetitum sensitivum, ac dein sponte vultu, gestu, voce, externisque motibus exprimatur. Ad rem s. Thomas (1): « Adiungitur vocalis oratio (idemque dic de prostrationibus, aliisque externi cultus actibus) ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundum illud (2), *laetatum est cor meum et exultavit lingua mea.* » — Dices: internos animi affectus possumus, ne exterius appareant, celare. Respondeo *primo,* id non semper in nostra esse potestate: saepe enim interni affectus, quantumvis in contrarium nitamur, prorumpunt extra ac patefiunt. Respondeo *secundo,* id fieri per violentiam, quam in nos non adhibemus, nisi gravi de causa: nulla autem adest causa internos erga divinitatem sensus occultandi, immo vero multiplex exstat gravisque ratio eos prodendi, praecipue vero haec, ut nempe tum alios tum nosmetipsos provocemus in divina.

Nam β) externus cultus est naturale *medium* ad cultum internum, quem certe naturalis lex praecipit, fo-

(1) In 2. 2. q. 83. a. 12. Cf. etiam Taparelli, *saggio teoret.* dissert. 1. cap. 9. num. 219.

(2) Ps. XV. 9.

vendum et augendum. — Etenim natura quidem, uti ceterarum virtutum, ita maxime pietatis in Deum parvulos, Tullii (1) verbis utimur, nobis dedit *igniculos*, atque indidit *semina*. Nos autem recto mediorum usu, seu arte et industria, debemus eos fovere igniculos, ut in flammam erumpant, ea excolere semina, ut in plantam adolescant. Hunc mediorum usum si neglexerimus, ii restinguentur igniculi, ea semina morientur: praesertim cum, eiusdem sunt auctoris verba, in omni pravitate et summa opinionum perversitate versemur. Iamvero cultus externus est necessarium medium ad pietatem in Deum fovendam et excitandam. — Etenim quemadmodum, « connaturale est, ut s. Thomas (2) ait, homini, ut per sensus cognitionem accipiat »; ita connaturale est ei, ut per sensus cognitionem habitam et dependentem inde affectionem conservet et augeat. Sed hac in re declaranda non immorabor. Ut enim recte ait idem s. Doctor (3), « se homines esse non meminerunt, qui sensibilium repraesentationem necessariam non vident ad interiorem cognitionem et affectionem. Nam experimento apparet, quod per corporales actus anima excitatur ad aliquam cogitationem vel affectionem. »

II. Sunt qui contendunt cultum externum esse quidem necessarium, sed tantummodo ratione cultus interni. Ii sane errant: siquidem debitus est etiam *ratione sui*.

(1) Tusc. quaest. l. III. ab init. Cf. super. vol. I. thes. LVI. schol. Hoc in scholio cum s. Thoma diximus, virtutes esse in nobis a natura secundum aptitudinem et inchoationem, non autem secundum perfectionem.

(2) Contr. gent. l. 3. c. 119.

(3) Ibid. Vide etiam 2. 2. q. 81. a. 1., q. 83. a. 12. Cf. Suarez op. et l. nunc cit, Taparelli l. nuper cit. num. 220.

Hoc declarat s. Thomas (1) hisce verbis: « In nobis est triplex bonum, scilicet *spirituale, corporale* et *extrinsecum:* et quia haec omnia in nobis a Deo sunt, ideo secundum omnia debemus Deo latriam (2) exhibere: et secundum *spiritum* debemus ei debitam *dilectionem;* secundum *corpus prostrationes* et *cantus;* secundum *exteriora* autem, *sacrificia, luminaria* et huiusmodi: quae Deo non propter eius indigentiam exhibemus, sed in recognitionem quod omnia ab ipso habemus: et sicut eum ex omnibus recognoscimus, ita eum ex omnibus honoramus. » Et alio loco (3) idem s. Doctor ait: « Per hoc Deum profitemur animae et corporis auctorem, cui spiritualia et corporalia obsequia exhibemus. » Rursus (4): « Adiungitur vocalis

---

(1) In 3. sent. dist. 9. q. 1. a. 3. sol. 3. — Hinc videre est, quam sapienter s. Augustinus dixerit, cultum Dei praesertim consistere in gratitudine, qua bona omnia, quae habemus, per actus honoris internos externosque Deo accepta referamus. En eius verba, in l. de spir. et litt. num. 18. : « θεοσέβεια, si ad verbi originem Latine expressam interpretaretur, Dei cultus dici poterat, qui in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Erit autem ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit. » — Quanti fieri debeat actus agendi Deo gratias, idem s. Doctor, in ep. 41. (al. 77.), sic exponit: « Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam *Deo gratias.* Hoc nec dici brevius, nec audiri laetius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. »

(2) Cultus praeter Deum exhibetur et Sanctis propter participatam, quae in eis relucet, excellentiam. Cum tamen cultus Deo exhibitus sit alterius omnino et superioris rationis, hinc speciali donatur nomine, nempe *latriae* (a λατρεύω, servio). Cultus autem Sanctorum dicitur *dulia* (a δουλεύω, servio): cumque Beatissima Virgo Maria inter Sanctos emineat, eius cultus vocatur *hyperdulia.*

(3) Contr. gent. l. III. c. 119. Nota, quae statim addit: « Propter hoc non est mirari, si haeretici, qui corporis nostri Deum esse auctorem negant, haec corporalia obsequia Deo exhibita reprehendunt. »

(4) In 2. 2. q. 83. a. 12. Vide etiam q. 84. a. 2.: « Quia ex

oratio quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum, quod ex Deo habet, id est non solum mente, sed etiam corpore. » — Haec ex Suaresio (1) addam: « Quia nos duplici natura constamus, corporali nimirum et spirituali, ideo utriusque actibus colere debemus Deum, quia utriusque auctor est. » Itaque actibus etiam externis colimus Deum, « ut nos omni modo nobis possibili ei servitutem exhibeamus, » ut loquitur idem auctor (2).

Duo liquent ex dictis. — Patet *primo,* quinam sint externi cultus *fines* praecipui. Prior finis est profiteri Deum esse auctorem animae, corporis et ceterarum rerum, eique submittere animam per interiorem mentis devotionem, corpus per exteriorem ipsius humiliationem, ceterasque res per voluntariam ipsarum oblationem. Alter finis est nosmetipsos provocare in divina, « ut scilicet per signa humilitatis, quae corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo » (3). Tertius finis addi potest: ut existimatio, quam de Deo habemus, et cultus, quem interne in animo Deo tribuimus, aliis patefiant: unde consequetur, quod alii et nobiscum socialiter ac tuto vivant, et nobis in cultu divinitati exhibendo uniantur (4). — Patet *secundo,* quaenam inter externum et

---

duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humiliatione. »

(1) Op. et l. nuper cit.

(2) Ibid. num. 8. Et num. seq. sic concludit: « His ergo rationibus et *infinitis* aliis necesse est, Deo adorationem etiam corporalem exhibere. »

(3) Ita s. Thomas, in 2. 2. q. 84. a. 3.

(4) Cf. Suarez, op. et l. cit. num. 9. Cf. etiam de oratione, l. III. c. 6. n. 2. et 4. Quibus in locis innuit hominem, utpote natura sua

internum cultum sit distinctio. Cultus externus non distinguitur ab interno *adaequate:* si enim sit ab eo totaliter seiunctus, iam non est quid honestum, sed quid vitiosum, hypocrisis nempe et mendacium. Verum ab eo distinguitur *inadaequate:* externus enim cultus, si vere cultus est, semper informatur seu vivificatur ab interno. Hunc nempe praesupponit iam actu vel virtute in animo existentem: ab hoc pullulat, ut a semine planta: hunc repraesentat exterius, ut signum rem significatam: simul vero ipsum promovet, vividiorem reddendo ac diuturniorem.

III. Ad ea, quae diximus, confirmanda iuvat praecipuas, quas externi cultus osores obiiciunt, difficultates perpendere ac diluere.

1°.) Cultus externus est finitus. Ergo est Deo indignus. — Respondeo α) cultum quoque internum esse finitum. Haec itaque ratio si valeret, non modo cultus externus, sed internus etiam foret reiiciendus: quod tamen ipsi, quibuscum contendimus, adversarii non audent affirmare. Addo β) cultum externum, haud secus ac internum, esse quidem finitum, si *subiective* spectetur, si nempe consideretur ille, qui colit, et actus, quo colit: non esse tamen finitum, si *obiective* spectetur, nimirum si consideretur ille, qui colitur, et Dei maiestas, quae per eos actus recognoscitur a nobis ac significatur. Sic « genuflectimus, inquit s. Thomas (1), nostram infirmitatem

---

socialem et inter homines viventem, teneri naturali praecepto, religionem erga Deum profiteri externe debito tempore et loco.

(1) In 2. 2. q. 84. a. 2. ad 2m. — Omnes actus cultus sive interni sive externi divinas recognoscunt et exprimunt perfectiones. Exprimunt eo pacto, quo eas exprimit *timor* Dei. Qui timet Deum, practice declarat eum esse *omnituentem*, *sanctum*, *iustum*, *omnipotentem*. Neque enim Deum timeret, nisi crederet eum omnia videre,

designantes in comparatione ad Deum: prosternimus autem nos, quasi profitentes nos nihil esse ex nobis. »

2°.) Deus non indiget cultu nostro externo. Ergo eum non exigit. — Respondeo α) Deum ne nostro quidem interno cultu indigere. Hunc tamen, quod ne ipsi quidem adversarii negant, omnino exigit. Itaque β) aliud est, Deum non indigere cultu nostro externo, et aliud, illum non exigere. Eo non indiget, et tamen eum exigit. Exigit scilicet tum ratione *indigentiae nostrae,* tum ratione *infinitae suae bonitatis.* Exigit *primo* ratione indigentiae nostrae. « Nobis, inquit s. Augustinus (1), verba necessaria sunt, quibus commoneamur et inspiciamus, quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus. » Exigit *secundo* ratione infinitae suae bonitatis. Haec scilicet postulat, ut, cum omnia quae habemus bona ab Ipsa acceperimus, omnia quotquot possimus modis Ipsi accepta referamus.

3°.) Arguunt etiam ex ea Christi Domini sententia (2), « Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. » — In hac sententia, respondet s. Thomas (3), « Dominus loquitur quantum ad

---

vel intimas animi cogitationes: odio habere culpam vel levem: aequum de nostris actionibus iudicium ferre: potestatem habere puniendi.

(1) In ep. 130. (al. 121.). Pergit autem perpulchram exponens paraphrasim orationis *dominicae.* Cf. etiam ep. 102. (al. 49.). Lege etiam s. Thomam, contra Gent. l. 3. c. 119.

(2) Ioann. IV. 24. — « Christus, ita Suarez, de orat. l. III. c. 1. n. 8., non dixit Deum esse orandum *in spiritu* et *veritate,* quia mente et non corpore orandus sit, sed quia ad verum Deum dirigenda est oratio, quod est ipsum colere *in veritate,* et quia ex puro corde et desiderio placendi illi orandum est, quod est illum *in spiritu* adorare, ut ibi Patres exponunt. »

(3) In 2. 2. q. 81. a. 7. ad 1.

id, quod est *principale* et *per se* intentum in cultu divino, » minime excludens id, quod est secundarium et ordinatum ad aliud, cuiusmodi est cultus externus. Idem s. Doctor alio loco (1) de eadem Domini sententia sic disserit: « Quamvis Deus sit spiritus, est tamen creator corporis: et ideo *principaliter* ei in spiritu servire debemus, *secundario* autem etiam in corpore: et ideo etiam vocaliter oramus, ut sibi non solum spiritus, sed etiam lingua carnis obsequatur, ut et nos ipsos et alios ad laudem Dei excitemus. » Illis itaque verbis Christus Dominus eos redarguit, qui toti quidem erant in externi cultus actibus exercendis, de interno autem cultu, quo ii actus vivificari debuissent, nulla erant ratione solliciti. Et sane quod Christus ea sententia cultum externum non reprobarit, patet ex eo quod ipsemet in horto, ut legimus apud Lucam, Cap. XXII. v. 41., « positis genibus orabat », immo, ut apud Matthaeum, Cap. XXVI. v. 39., legimus, « procidit in faciem suam orans. »

4°.) Deus intuetur cor. Ergo est inutilis cultus externus. — Respondet s. Thomas (2), « quod vocalis oratio (idemque valet de prostrationibus, aliisque externi cultus actibus) non profertur ad hoc, quod aliquid ignotum Deo manifestetur, sed ad hoc, quod mens orantis vel aliorum excitetur in Deum. » Et alio loco (3): « Genuflexiones, vocales clamores et cantus non fiunt, quasi Deus his indigeat, qui omnia novit et cuius voluntas est immutabilis, et qui affectum mentis et etiam motus corporis non propter se acceptat, sed propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio nostra feratur in Deum et affectio accendatur. »

---

(1) In 3. sent. l. nuper cit

(2) In 2. 2. q. 83. a. 12. ad 1m.

(3) Contr. gent. l. 3. c 119.

30. Scholion. Sicut in aliis legis naturalis iussionibus, ita in hoc naturali praecepto de supremo Numine colendo, duae debent partes distingui, altera quidem *negativa* obligans semper et pro semper, altera vero *positiva* obligans quidem semper sed non ad semper (1). Negativa prohibet quodcumque dictum vel factum vel concupitum in probrum seu dedecus infinitae Dei maiestatis tendens: positiva vero praecipit, ut debitum Deo cultum tum internum tum etiam externum tribuamus.

Ad partem hanc positivam quod attinet, illud animadvertam, quod s. Thomas (2) docet hisce verbis: « De dictamine rationis naturalis est, quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam. Sed quod haec determinate faciat vel illa, istud non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione iuris divini vel humani » i. e. legis positivae. Quae verba sic apte exponit Tongiorgi (3): « Naturae lege hoc quidem praecipitur, ut Deum cultu quoque externo colamus, idque *prudenter, decenter, frequenter*: modus vero et adiuncta huius cultus non omni ex parte definiuntur, v. g. qui ritus in externa adoratione adhibendi sint, quae oblationes offerendae, qua frequentia. Haec igitur praefinitio vel prudenti cuiusque iudicio, vel lege aliqua positiva, vel divina aliqua revelatione fieri debet. » Hoc scilicet, ut iam diximus (4), proprium est legis naturalis, quaedam statuere generaliora, quae postea

(1) Vide super. vol. I. thes. XXXV. pag. 289.: item huius vol. thes. III. pag. 47.

(2) In 2. 2. q. 81. a. 2. ad 3.

(3) Eth. partic. cap. I. num. 293. Cf. Suarez, de orat. l. III. c. 6. n. 4., ubi ait, « determinationem illam pertinere ad ius positivum. vel, illo deficiente, ad prudens colentis arbitrium. »

(4) Vide super. vol. I. thes. XLVII. pag. 378.

per positivas leges aut humanas consuetudines magis in individuo determinantur.

Quod vero spectat ad priorem partem negativam, ea praecipue vetat *blasphemiam,* et consequenter *idololatriam.* Dixi *consequenter:* nam idololatria « includit, ut recte notat s. Thomas (1), magnam blasphemiam, inquantum Deo subtrahitur dominii singularitas. »

I. Blasphemia, si vocis etymon spectes (a βλάβη, noxa, vel a βλάπτω, laedo, et φήμη, fama), est idem ac laesio famae, obtrectatio nefaria seu convicium. Verum, ut ait s. Augustinus (2), « vulgo blasphemia non accipitur, nisi cum quis mala verba de Deo dicit. » Itaque blasphemia recte sic definitur: verbum maledictionis, vel convicii seu contumeliae in Deum. — Fit autem duplici modo, nimirum « vel negando de Deo, quod ei convenit (e. g. divinam providentiam), vel asserendo de eo, quod ei non convenit (e. g. eum appellando iniustum) » (3). Dices: nonne blasphemia fit etiam tribuendo creaturae id, quod est Dei proprium? Respondeo cum s. Thoma (4):

---

(1) In 2. 2. q. 94. a. 3. ad 2m.

(2) Lib. 2. de Mor. Manich. c. 11. Item s. Thomas, 2 2. q. 158. a. 7.: « Verba iniuriosa si sint contra Deum, erit *blasphemia*: si autem contra proximum, *contumelia.* » Contumeliam definivimus superius, th II. num. 9. pag. 40., laesionem iniustam honoris alteri debiti.

(3) In 2. 2. q. 13. a. 1. — Secundum haec non possunt proprie loquendo distingui diversae species peccati blasphemiae Quod sic declarat s. Thomas, l. c. ad 3m.: « Attribuere Deo, quod ei non convenit, vel removere ab eo, quod ei convenit, non differunt nisi secundum affirmationem et negationem, quae quidem diversitas habitus speciem non distinguit; quia per eamdem scientiam innotescit falsitas affirmationum et negationum, et per eamdem ignorantiam utroque modo erratur; cum negatio probetur per affirmationem. »

(4) L. nunc cit. ad 3m.

« Quod ea, quae sunt Dei propria, creaturis attribuantur, ad hoc pertinere videtur, quod aliquid ei attribuatur, quod ei non conveniat: quidquid enim est Dei proprium, est ipse Deus, attribuere autem id, quod est Dei proprium, alicui creaturae, est ipsum Deum dicere idem creaturae. »

A notione blasphemiae ad eius divisiones gradum facientes, tres solum innuemus partitiones. — α) Blasphemia est vel *tantum cordis* vel *etiam oris.* Ita s. Thomas (1): « Si consistat tantum in corde, est cordis blasphemia, si autem exterius prodeat per locutionem, est oris blasphemia. » Prior directe opponitur naturali officio colendi Deum cultu interno: altera directe adversatur naturali officio Deum colendi cultu etiam externo. Quare cum blasphemia definitur, *verbum* etc., sic definitur, quia ordinarie committitur proferendo « mala verba de Deo. » Potest tamen admitti quoque cogitatione seu verbo mentis, atque potest etiam facto admitti seu opere, ut si quis in caelum expueret aut dentibus frenderet, et sic summam, quae Deo debetur, reverentiam practice negaret (2). — β) Blasphemia est vel *directa* vel *indirecta.* Est directa, quando inhonoratio Dei positive intenditur a blasphemante. Est indirecta, quando contumelia in Deum, etsi a blasphemante non intenta, tamen in eius dictis factisve reapse continetur, atque in iis contineri advertitur. Utraque sane est magnum peccatum, maius tamen illa, quae dicitur

---

(1) L. nunc cit. in corp. art. — Dantes, postquam dixit, Inf. XI., hominem posse vim seu iniuriam inferre *Deo*, *sibi*, *proximo* (cf. super. vol. I. thes. LIX. schol.), ita pergit:

Puossi far forza nella Deitate
Col cor negando e bestemmiando quella

(2) Vide Suarez, de vitiis relig. contrariis l. I. c. 4. num. 2. seqq.

directa, quaeque proxime ac formaliter oritur « ex superbia hominis contra Deum se erigentis » (1). De hac directa blasphemia proprie loquitur s. Hieronymus, ubi ait (2): « Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in Excelsum os suum. » Cum s. Hieronymo concordat s. Thomas (3), haec Glos. verba approbans: « Omne peccatum comparatum cum blasphemia levius est. » — γ) Blasphemia est vel *immediata* vel *mediata*, prout vel immediate afficit Deum, vel ipsum afficit tantum mediate, quod contingit, quum Sancti aut res sacrae verbis inhonorantur. Haec enim contumelia redundat in Deum, cui Sancti speciali vinculo amicitiae, res autem sacrae speciali relatione sunt adstrictae. Hinc blasphemia definitur etiam: locutio contra Deum aut res sacras per modum contumeliae. Sed iam ad magnam illam blasphemiam, qua Deo denegatur dominii singularitas, seu ad idololatriam veniamus.

II. Idololatria (ab εἴδωλον, simulacrum et λατρεύω,

---

(1) In 2. 2. q. 158. a. 7. — Huc facit illud Eccl., X. 14.: « Initium superbiae hominis apostatare a Deo, » i. e, ut haec verba s. Thomas l. c. explicat, « recedere a veneratione eius est prima superbiae pars, et ex hoc oritur blasphemia. »

(2) In Isa. l. VII. c. 18.

(3) In 2. 2. q. 13. a. 3. In respons. ad 2m. comparans *blasphemiam* cum homicidio sic disserit: « Homicidium et blasphemia si comparentur secundum *obiecta*, in quae peccatur, manifestum est, quod blasphemia, quae est directe peccatum in Deum, praeponderat homicidio, quod est peccatum in proximum. Si autem comparentur secundum *effectum nocendi*, sic homicidium praeponderat: plus enim homicidium nocet proximo, quam blasphemia Deo. Sed quia in gravitate culpae magis attenditur *intentio voluntatis perversae* quam *effectus operis*, ideo cum blasphemus intendat nocumentum inferre honori divino, simpliciter loquendo gravius peccat, quam homicida. Homicidium tamen primum locum tenet inter peccata in proximum commissa. »

servio) est superstitio, qua creaturae tribuitur cultus, tamquam Deo. Tunc autem est *perfecta*, quando concurrunt haec tria: *in intellectu*, opinio de divinitate rei, quae colitur: *in voluntate*, submissio rei illi, tamquam numini: *ad extra*, exhibitio signi internam opinionem submissionemque manifestantis (1). Si quid ex his tribus desit, idololatria est *imperfecta*. Talis idololatria foret in eo, qui non ex errore, sed ex odio in Deum, vel ex cupiditate aliquid (puta, notitiam futuri eventus) a daemone aut alia creatura obtinendi, ipsi tamquam Deo cultum exhiberet: item in eo, qui ut aliorum contemptum vel probra vitet, aut ne dignitatem vel vitam amittat, cultum idolo quasi Deo deferret. Hoc postremo in casu exemplum habes idololatriae illius imperfectae, quae proprio nomine vocatur *simulata* seu externa tantum. De hac idololatria simulata haec habet s. Thomas (2): « Cum exterior cultus sit signum interioris cultus; sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente. » Hinc s. Augustinus (3) acriter insectatur Senecam, qui idola, quorum cultum vituperabat (4), colebat: « Iste, quem philosophia quasi liberum

(1) « Haec tria debent in idololatria concurrere circa idolum, ut omnino vera et consummata sit in suo genere, scilicet-opinio aliqua divinitatis de Idolo seu re, quae adoratur - affectus adorationis - adoratio ipsa, seu exhibitio signi submissionis et recognitionis alicuius excellentiae divinae in re quae adoratur. » Ita Suarez, de vitiis relig. oppositis l. II. c. 3. num. 7.

(2) In 2. 2. q. 94. a. 2.

(3) De Civ. Dei l. VII. c. 10.

(4) Pluribus locis Seneca reprobat et irridet idololatriam, ut ubi ait: « Numina vocant, quae si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur. »

fecerat, tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat: quia videlicet magnum aliquid eum philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges civium moresque hominum, non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo: eo damnabilius, quo illa quae mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret: scenicus autem ludendo potius delectaret quam fallendo deciperet. »

Ergone, quaeri hic potest, cultus quilibet imaginum est illicitus? — Respondeo, cultum dividi in *absolutum* et *relativum*. Est absolutus, quando aliquid colitur propter excellentiam et sanctitatem ei intrinsecam: est relativus, quando aliquid colitur propter excellentiam et sanctitatem, ei quidem extrinsecam, sed intrinsecam alteri, ad quod in aestimatione morali refertur. Porro cultus, sive absolutus sive relativus, distinguitur, ut iam paulo ante innuebamus (1), in *latriam, duliam, hyperduliam.* Neque enim tantummodo Deum colere debemus, sed, cultu quidem a latria distincto, etiam amicos Dei, quales sunt Sancti, inprimis autem Maria Virgo, Deipara (*θεοτόκος*) ac Regina Sanctorum (2): colimus etiam cultu, qui di-

---

(1) Vide super. pag. 114. adnot. 2. — Hanc addam animadversionem. Sunt quaedam signa externa, quae ex universali hominum instituto determinata sunt ad significandum cultum Latriae: talia sunt sacrificia, altare, templum. Alia vero exteriora signa non sunt eo pacto determinata ad cultum Latriae exprimendum, sed per se sunt indifferentia ad cultum Latriae vel Duliae vel politicum significandum: e. g inclinatio capitis, genuflexio etc. Huiusmodi signa, cum per se indeterminata sint, ad hunc potius quam illum interiorem cultum exhibendum determinantur ab intentione agentis.

(2) Ex quibus manifeste patet cultum Sanctorum non esse idololatriam. Colimus enim Sanctos, non tamquam Deos (et in hoc est

citur *politicus*, superiores principesque humanos, utpote ministros Dei. — Iamvero imagines coli possunt cultu non quidem *absoluto*, sed *relativo* ad illos, quos repraesentant, seu ad prototypon. Si prototypon sit dignum cultu latriae absoluto, imago colenda erit cultu latriae respectivo: erit autem colenda cultu duliae aut cultu hyperduliae aut cultu politico respectivo, si prototypon sit dignum tantummodo cultu duliae aut cultu hyperduliae aut cultu politico absoluto. Ad rem s. Thomas (1): « Imago potest dupliciter considerari, vel secundum quod est res quaedam, et sic nullus honor ei debetur (sicut nec alii lapidi vel ligno), vel secundum quod est imago. Et quia idem motus est in imaginem, inquantum est imago, et in imaginatum, ideo unus honor debetur imagini et ei cuius est imago: et ideo cum Christus adoretur latria, similiter et eius imago. » — Quae porro sit imaginum sacrarum utilitas, accipe ex eodem Angelico Doctore (2): « Fuit triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesia. *Primo*, ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur. *Secundo*, ut Incarnationis mysterium et Sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidie oculis repraesentantur. *Tertio*, ad excitandum devotionis affectum, qui ex visis efficacius incitatur, quam ex auditis. »

Satis, ut nobis videtur, dictum est de officiis erga Deum essentialibus. Plura enim, quae addi sane possent, vel ad Theologiam moralem pertinent potius quam ad moralem Philosophiam, vel haud difficile possunt ex dictis erui.

---

intrinseca malitia idololatriae, ut ex ipsius definitione constat), sed tamquam amicos Dei et nostros apud Deum intercessores. Et hinc eos colimus cultu, non latriae, qui soli Deo reservatus est, sed duliae aut hyperduliae.

(1) In 3. sent. d. 9. q. 1. a. 2. sol. 2.

(2) Loc. nunc cit.

§ II. De iis hypotheticis erga Deum officiis, quae liberam humanae voluntatis determinationem consequuntur.

THESIS X.

Votum, seu promissio deliberata Deo facta de bono meliori, est Deo quidem honorificum, nobis autem apprime expediens ac valde meritorium: voventem porro ad sui observationem maxime obligat.

31. PRAENOTIONES. Ab *essentialibus* erga Deum officiis progredimur ad ea, quae *accidentalia* diximus seu *hypothetica* (1); ac primo loco de illis hypotheticis in Deum officiis agemus, quae talia sunt *ex parte hominis,* seu quae liberam consequuntur humanae voluntatis determinationem. Huiusmodi hypothetica officia, impleta conditione, aequivalent absolutis. Sunt autem potissimum duo, videlicet officium promissa seu vota servandi, si quis velit Deo se se votis obstringere, officiumque Deum, ut par est, invocandi, si quis velit Deum in veritatis testimonium invocare. Hac itaque in paragrapho de duobus praecipue agendum est, nempe primo de *voto,* dein vero de *iuramento.*

Quamvis autem, ut concedimus ultro, quaestio de *voto* ad Theologum moralem magis quam ad moralem Philosophum spectet; tamen ad hunc quoque spectare dicenda est, « quia, verba sunt Suaresii (2), sicut in pura

---

(1) Vide super. 24. pag. 99.

(2) De voto, l. VI. c. 9. num. 19. — Haec eadem dici debent de *iuramento,* quod etiam in pura natura sola ratione naturali ducta, haud secus ac votum, esse posset. Vide Suarez, de iuram. l. I. c. 14. num. 17. seqq.

natura sola ratione naturali ducta posset esse religio ad Deum, ita posset etiam esse votum et promissio. » Unde breviter quidem debemus de voto loqui, non tamen de eo omnino silere. Ac duo inprimis exponemus: *quid* sit et *quotuplex* sit votum.

I. Votum communiter ab auctoribus definitur (1), *promissio deliberata Deo facta de bono meliori.* — Dicitur, *promissio.* Hoc autem vocabulum exhibet genus proximum, sub quo votum continetur, et cui debent differentiae addi, ut completa voti definitio habeatur. Votum itaque non est merum propositum, sed insuper est promissio. Hoc autem intercedit discrimen inter propositum et promissionem, quod cum utrumque dicat voluntatem agendi aliquid aut aliquid omittendi, promissio insuper dicit animum se obligandi alteri ex virtute fidelitatis, quem animum non dicit simplex propositum. Unde fit, ut per se loquendo merum propositum possit, promissio autem non possit absque culpa non impleri. — Dicitur, *deliberata.* Nam votum est, ut modo dicebamus, et propositum et promissio. Iamvero « propositum aliquam deliberationem praeexigit, cum sit actus voluntatis deliberatae » (2). Promissio insuper est actus, quo seipsum quis moraliter ligat : nemo autem censetur seipsum moraliter ligare, nisi operetur cum advertentia rationis ad ligamen morale, de quo agitur, et cum indifferentia activa voluntatis, seu, quod idem est, nisi agat deliberate. — Dicitur, *Deo facta.* Cum enim

(1) Quandoquidem ea, quae valde optamus, solemus, adhibitis votis, postulare a Deo, hinc factum est, ut votum accipiatur quoque pro desiderio seu optato. Hoc pacto dixit Horatius, l. 2. sat. 6. v. 1.: « Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus etc. » — Quandoque etiam calculum seu suffragium in electione datum dicitur votum.

(2) In 2. 2. q. 88. a. 2.

promissio fieri possit et homini et Deo, votum non dicitur nisi promissio illa, quae fit Deo (1). Haec quidem fieri potest vel per solam interiorem deliberationem, secus ac promissio ab homine homini facta, quae oportet ut exprimatur verbis aut aliis externis signis: « homo enim videt ea, quae parent, Dominus autem intuetur cor » (2). Nihilominus in votis nuncupandis addere solemus tum *pronuntiationem oris* tum *testimonium aliorum,* ut scilicet et nostra in Deum devotio magis accendatur, et ad vota observanda impellamur propter timorem Dei atque etiam propter reverentiam hominum, qui nostrae testes promissionis fuere. — Dicitur, *de bono meliori.* Quorum verborum sic apte rationem assignat s. Thomas (3): « Votum est promissio Deo facta. Promissio autem est alicuius, quod quis *pro* aliquo *voluntarie* facit. Non enim esset promissio, sed comminatio, si quis diceret *contra* aliquem facturum. Similiter vana esset promissio, si aliquis alicui promitteret id, *quod ei non esset acceptum.* Et ideo cum omne peccatum sit *contra* Deum, nec aliquod opus sit *Deo acceptum,* nisi sit virtuosum, consequens est, quod *de nullo illicito* nec *de aliquo indifferenti* debeat fieri votum, sed solum *de aliquo actu virtutis.* Sed quia votum promissionem *voluntariam* importat, necessitas autem vo-

(1) Quando vovemus quaedam B. Virgini aut Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem B. Virginis aut Sanctorum, in quibus scilicet Deus inhabitat modo peculiari atque altiori, quam in aliis creaturis, quique sunt speciales amici Dei. Simili pacto templa et altaria exstruimus Deo in honorem B. Virginis et Sanctorum. Quare votum, quod fit Sancto alicui, nihil est aliud quam promissio facta Deo honorandi memoriam illius Sancti oblatione aliqua, e. g. invisendo et ornando eius sepulchrum. Hoc autem idem est, ac honorare Deum in illo suo Sancto.

(2) L. 1. Reg. XVI. 7.

(3) L. cit. art. 2.

luntatem excludit; id quod est *absolute necessarium* esse vel non esse, nullo modo sub voto cadit. Stultum enim esset, si quis voveret se esse moriturum, vel se non esse volaturum. Illud vero, quod non habet absolutam necessitatem, sed *necessitatem finis* (1), puta quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub voto, inquantum *voluntarie* fit, non autem inquantum est *necessitatis* (2). Illud autem, quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, *omnino est voluntarium*, et ideo hoc *propriissime* (3) cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse *ma-*

---

(1) Haec necessitas finis est *obligatio moralis*. Cf. super. vol. I. thes. XXXIX. pag. 322.

(2) S. Thomas, l. c., in resp. ad 1m. addit haec: « Hoc modo sub voto baptizatorum cadit *abrenuntiare pompis diaboli* et *fidem Christi servare*, quia voluntarie fit, licet sit de necessitate salutis. » Ergo actus boni, qui sunt *sub praecepto*, possunt esse materia voti. — Quaeres: cum votum (iuxta traditam definitionem et vulgatum axioma) sit *de bono meliori*, quonam sensu actus praecepti possunt computari inter *meliora bona?* Respondet Suarez, de voto l. II. c. 6. num. 17.: « quia et sunt optimi actus et praeferendi sunt actibus non praeceptis quantumcumque bonis, qui simul fieri non possunt: merito enim bonum melius dicitur, quod tale est, ut cuicumque sibi opposito praeferendum sit, sive illud praecipiatur sive non. Quod si in eo sensu sumatur illud axioma, votum esse de meliori bono, id est, de bono, quod ad melius esse consulitur et non praecipitur, sic facile potest negari tale principium, quia nullo iure, ratione vel auctoritate fulciri potest. Addi vero potest, etiam illo modo posse in aliquo sensu verificari, hoc votum de re praecepta esse de meliori bono, quia licet illa materia secundum se sit praecepta, tamen quod fiat intuitu religionis et quod per votum consecretur Deo, praeceptum non est, et ut sic votum illud potest dici de meliori bono, quia melius est illud ipsum factum ex voto, quam esset sine voto. » Et lege ea, quae subdit.

(3) Nota τὸ *propriissime*. « Materia *supererogationis*, inquit Suarez, de voto l. II. c. 6. num. 8., dicitur *propria* votorum, non quia sit *adaequata*, sed quia est *praecipua* et de se magis accommodata ad

ius bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis. Ideo, *proprie* loquendo, votum dicitur esse *de meliori bono.* » Itaque paucis, haec de materia voti teneantur. Ut aliquid cadat sub votum (1), *negative* non debet esse aliquid, quod sit extra nostram potestatem seu nostras vires, neque aliquid, quod sit malum moraliter, neque aliquid, quod sit moraliter indifferens: *positive* autem debet esse actus aliquis bonus. Sed actus boni non sunt unius omnes rationis. Alii enim ita sunt boni, ut sint meliores ipsi quam non ipsi, aliis verbis, ut melius sit eos facere quam omittere: alii vero ita sunt boni, ut tamen non sint meliores ipsi quam non ipsi. Iamvero materia voti non sunt nisi actus ita boni, ut sint meliores ipsi quam non ipsi (2).

---

novam et spontaneam obligationem. » — Haec valent etiam ad refellendam sententiam eorum, ut Lutheri et Calvini, qui aiunt vota ad colendum Deum non posse fieri nisi de rebus praeceptis. Cf. Bellarminum, de Monachis l. II. capitibus 15 et 16.

(1) Apte Becanus, de Iure et Iust. c. 88. q. 4.: « Ut aliquid cadat sub votum, tria requiruntur. *Primum*, ut sit in nostra potestate: *secundum*, ut sit bonum: *tertium*, ut sit melius quam oppositum. Hinc sequitur non esse validum votum: *Primo*, si voveas te numquam peccaturum venialiter, quia hoc non est in tua potestate. *Secundo*, si voveas opus malum aut indifferens: nemo enim aliquid promittit alteri, nisi quod ei gratum est, Deo autem nihil est gratum, nisi quod bonum. *Tertio*, si voveas te non daturum eleemosynam, non futurum Religiosum, non suscepturum sacros Ordines: melius enim est dare eleemosynam, fieri Religiosum, suscipere sacros Ordines. » Cf. Bellarminum, de Monachis l. II. c. 14.

(2) Cf. Suarez, de voto l. II. c. 7. In num. 2. sic arguit: « Votum inducit obligationem. Sed non potest votum obligare ad non faciendum id, quod melius est. Ergo non potest obligare ad bonum cum detrimento melioris boni. *Consequentia* patet, quia iam obligaret ad omittendum melius bonum propter minus. Probatur ergo *minor*: quia materia voti debet esse consona divinae voluntati, alias Deus

II. Ex voti partitionibus illam tantummodo paucis commemorabo, qua votum dividitur in *absolutum* et *conditionale*, prout nullis est aut aliquibus est *specialibus ex parte ipsius obiecti seu materiae* (1) conditionibus alligatum. Porro votum conditionale rursus subdividitur in *poenale* et *non-poenale*, prout aliquid vovetur vel non vovetur in delicti, si patretur, poenam. Votum autem poenale duplici fieri pacto potest, videlicet vovendo tum poenam in eventu delicti, tum delicti evitationem (e. g. voveo vitare blasphemiam et si proferam voveo talem pecuniae vim pauperibus largiri), vel vovendo tantum poenam in eventu delicti (e. g. voveo me daturum eleemosynam, si blasphemiam proferam). In primo casu duplex habetur votum, unum absolutum (non blasphemandi), alterum conditionatum (dandi eleemosynam), vel potius sunt duo vota simul et per modum unius facta: in secundo autem casu non habetur nisi unum votum conditionatum (2).

32. Demonstratio. Haec quatuor, ut ex theseos enunciatione patet, sunt demonstranda, videlicet votum esse — Deo honorificum — nobis expediens — valde meritorium — atqne ad sui observationem obligare.

I. Votum est *honorificum* Deo. — Etenim omnia

---

non acceptat illam, et consequenter promissio non valet. Sed obligari ad omittendum melius propter minus bonum, non est consonum divinae voluntati, quia voluntas Dei est sanctificatio nostra: unde quantum est ex se cupit Deus ut homo semper faciat quod melius est. Ergo non placet illi, ut homo ligetur ad faciendum id quod est minus bonum, quia per hoc privatur potestate morali faciendi quod est melius. »

(1) Cf. Suarez, de voto l. I. c. 19., praesertim num. 8. Item cf. l. IV. c. 17., ubi ostendit « omne votum aliquas involvere conditiones *generales*, non tamen propterea omne votum conditionatum esse. »

(2) Cf. Suarez, de voto l. I. c. 19. num. 15.

vota sunt actus virtutis religionis seu latriae. Atqui actus virtutis, et praecipue virtutis religionis, cedunt in Dei gloriam. Ergo omnia vota honorem Deo tribuunt.

Obiicies, non omne votum esse actum virtutis religionis, e. g. votum ieiunandi. — Respondeo, omnia quidem vota esse actum virtutis religionis, non tamen omnia *eodem prorsus modo*, sed quaedam dumtaxat *ratione promissionis Deo factae*, quae est essentia voti, quaedam vero et *ratione promissionis Deo factae* et *ratione rei promissae*, seu materiae voti. Priora sunt vota illa, quae versantur circa actus proprios aliarum virtutum, e. g. circa sobrietatem vel continentiam: alia vero sunt illa, quae versantur circa actus proprios et immediatos virtutis religionis, e. g. circa orationem vel sacrificium (1). Ad rem Bellarmiuus (2): « Est observandum in voto semper

---

(1) Cf. s. Thomam, 2. 2. q. 88. a. 5., et cf. etiam q. 81. a. 1. Ubi in responsione ad 1m. haec habet: « Religio habet duplices actus: quosdam quidem proprios et immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare et alia huiusmodi: alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus, quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam, quia scilicet virtus, ad quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad quas pertinent ea quae sunt ad finem. Et secundum hoc actus religionis ponitur esse, *visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum*, quod est actus elicitus a misericordia: *immaculatum autem se custodire ab hoc saeculo*, imperative quidem est religionis, elicitive autem temperantiae vel alicuius huiusmodi virtutis. » Quibus postremis verbis explicat sententiam, quae legitur in epist. cathol. s. Iac. I. 27.: « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. »

(2) De Mon. l. II. c. 14. Hinc idem auctor sic definit votum: *religiosa* promissio alicuius excellentioris boni, Deo facta, libera voluntate. Addit scilicet vocem illam, *religiosa*, ut significet cuius virtutis actus sit votum, nimirum *religionis*, quae virtus praecipua est inter morales virtutes.

esse duas actiones, alteram *materialem*, alteram *formalem*. Materialis est, de qua fit votum, ut ieiunare, sacrificare etc. Formalis est ipsa promissio ieiunandi vel sacrificandi et promissionis adimpletio. Quare formalis actio semper est actus religionis. Materialis autem interdum est religionis, ut si quis voveat quotidie sacra facere, interdum alterius virtutis, ut si quis voveat sexta feria semper ieiunare. »

II. Votum est utile seu *expediens* nobis. — Qua in re praeclara sunt s. Thomae (1) verba: « Votum est promissio Deo facta. Alia autem ratione promittitur aliquid *homini* et *Deo*. Homini quidem promittitur propter eius utilitatem, cui utile est, et quod ei aliquid exhibeatur, et quod eum de futura exhibitione prius certificemus. Sed promissionem Deo facimus, non propter eius utilitatem, sed nostram. Unde Augustinus (2) dicit: Benignus exactor est et non egenus, ut qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores. Et sicut id, quod damus Deo, non est ei utile, sed nobis, quia *quod ei redditur reddenti additur*, ut Augustinus (3) dicit; ita etiam promissio, qua Deo aliquid vovemus, non cedit in eius utilitatem, qui a nobis certificari non indiget, sed ad utilitatem nostram, *inquantum vovendo voluntatem nostram*

---

(1) In 2. 2. q. 88. a. 4. Cf. Suarez, de voto l. I. c. 18. In num. 6. ait: « Ex voto utilitates honestissimae comparantur. *Prima*, quia per illud homo liberalem se ostendit erga Creatorem suum, illi offerendo se vel sua, modo quodam stabili et firmo. *Secunda*, per hunc actum maxime colit Deum, honorando illum, vel gratias agendo, vel illi se submittendo. *Tertia*, votum ipsum suo modo est principium meliorum operum. *Quarta*, votum est etiam ratio saepius, frequentius ac certius bene operandi. »

(2) Epist. 127., al. 45., ad Armentarium et uxorem eius Paulinam num. 3.

(3) Ep. nunc cit. num. eod.

immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere. Et ideo expediens est vovere. »

Obiicies, nullo pacto expediens esse periculis se se offerre. Atqui vovere est idem ac peccandi periculis se obiicere: siquidem quod ante votum sine culpa poterat omitti, nequit post votum absque culpa praeteriri. Ergo expediens non est se Deo votis obstringere. — Respondeo cum eodem angelico doctore (1), « quod quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non est expediens, puta quod aliquis per pontem ruinosum transeat fluvium. Sed si periculum immineat ex hoc, quod homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens: sicut expediens est ascendere equum, quamvis periculum immineat cadendi de equo. Alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quae etiam per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Unde dicitur (2): *Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, numquam metet.* Periculum autem voventi non imminet ex ipso voto, sed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat transgrediens votum. Unde Augustinus (3) dicit: Non te vovisse poeniteat, sed magis gaude, iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. » Itaque sola obligatio recte operandi non constituit hominem in periculo: secus nullum praeceptum positivum deberet hominibus imponi. In vovendo tamen leges prudentiae sunt omnino servandae: hisce autem servatis, fiducia ponenda est in Deo, qui sicut nos hortatur ut voveamus, ita nos adiuvat ut reddamus seu votum impleamus.

---

(1) L. nuper cit. ad 2^{m}. Cf. Suarez, de voto l. I. c. 18.

(2) Ecclesiastes, XI. 4. Ad rem facit illud s. Ambrosii, lib. de vid. prope finem: « Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur: nec pedis utatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiscentiae timet lapsum. »

(3) In ep. cit. num. 8.

III. Votum est valde *meritorium* apud Deum. — Etenim actus virtutis sunt actus meritorii apud Deum (1). Atqui, ut iam diximus, votum est actus virtutis religionis. Ergo votum est meritorium apud Deum. Nec simpliciter meritorium, sed *valde meritorium* est votum. *Primo* quidem, quia virtus religionis, cuius actus est votum, virtus est praecipua inter virtutes morales. *Secundo* autem, quia votum non minuit quidem libertatem indifferentiae, sed minuit vel tollit libertatem ab obligatione: privare autem se hac libertate propter Deum, est valde meritorium apud Ipsum (2). — Imo *facere idem opus cum voto est,*

---

(1) Cf. super. vol. I. thes. XXVII. pag. 228.

(2) Vide Suarez, de voto l. I. c. 18. num. 9. Cf. cap. 17. n. 16. in respons. ad 3^{m}. — Praeclare Dantes, Par. V.:

Lo maggior don, che Dio per sua larghezza
Fesse creando, e alla sua bontate
Più conformato, e quel ch' ei più apprezza,
Fu della volontà la libertate,
Di che le creature intelligenti
E tutte e sole furo e son dotate.
Or ti parrà, se tu quinci argomenti,
L'alto valor del voto, s' è sì fatto,
Che Dio consenta quando tu consenti;
Chè, nel fermar tra Dio e l'uomo il patto,
Vittima fassi di questo tesoro,
Tal qual io dico, e fassi col suo atto.
Dunque che render puossi per ristoro?
Se credi bene usar quel c' hai offerto,
Di mal tolletto vuoi far buon lavoro.

Valorem voti ostendit Dantes ex excellentia liberi arbitrii, quod per votum ligamus moraliter, sicque moraliter ligatum offerimus Deo tamquam victimam. Et recte quidem: excellens enim est dos haec liberi arbitrii. Per liberum arbitrium homo evadit *dominus* suorum actuum. Per liberum arbitrium homo differt a brutis *quoad ipsum operandi modum*, quia scilicet, secus ac bruta, agit cum indifferentia

ceteris paribus, melius et magis meritorium, quam facere sine voto. Hanc veritatem s. Thomas (1) triplici ex capite ostendit: « *Primo* quidem, quia vovere est actus latriae, quae est *praecipua* inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius et magis meritorium. Unde actus inferioris virtutis est melior et magis meritorius ex hoc, quod imperatur a superiori virtute, cuius actus fit per imperium; sicut actus fidei vel spei melior est, si imperetur a charitate. Et ideo opera aliarum virtutum moralium (puta, ieiunare, quod est actus abstinentiae, et continere, quod est actus castitatis) sunt meliora et magis meritoria si fiant ex voto, quia sic iam pertinent ad divinum cultum, quasi quaedam Dei sacrificia. *Secundo,* quia ille qui vovet aliquid et facit, plus se Deo subiicit, quam ille qui solum facit: subiicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cetero non potest aliud facere; sicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit s. Anselmus (2). Et inde est, quod etiam promittentibus gratiae aguntur, ut dictum est (3). *Tertio*, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum (4). Facere

---

activa ad oppositum et absque intrinseca determinatione ad unum. Per liberum arbitrium fit, ut humanae actiones sint *imputabiles* agenti ac *meritoriae*.

(1) L. saep. cit. art. 6.

(2) In lib. de similitudin. c. 84.

(3) In art. praeced. ad 2m., ubi haec habentur: « Ille, qui promittit, inquantum se obligat ad dandum, iam quodammodo dat: sicut dicitur fieri aliquid, cum fit causa, quia effectus virtute continetur in causa. Et inde est, quod non solum danti, sed etiam promittenti gratiae aguntur. »

(4) Dices: quando agitur de opere praecepto, iam ob praeceptum voluntas est firmata in bonum; cur ergo aliud additur firma-

autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis, ut patet per Philosophum (1). Sicut etiam peccare mente obstinata aggravat peccatum. »

Obiicies. Facere aliquid ex voto, est facere illud ex necessitate. Atqui facere aliquid ex necessitate, non est meritorium. — Respondeo, tribus modis posse aliquid fieri *ex necessitate*, nempe *ex coactione, ex naturali determinatione ad unum, ex obligatione morali*. Cui triplici necessitati triplex opponitur libertas, nimirum *a coactione, a naturali determinatione ad unum, a lege morali* (2). Ut autem actio sit meritoria, sufficit ut non fiat ex coactione, neque ex determinatione intrinseca ad unum, seu satis est ut fiat libere tum libertate a coactione, tum libertate indifferentiae: minime exigitur ut non fiat ex obligatione morali, seu, quod idem est, minime requiritur ut fiat libere libertate etiam morali (3). Iamvero quod fit ex voto, fit libere tum libertate a coactione tum libertate indif-

---

mentum voti? — Respondeo, voluntatem iam in bono firmatam per praeceptum, magis in eo firmari et immobiliorem reddi per votum. Cf. Suarez, de voto l. II. c. 6. num. 6.

(1) Ethic. II. 3. Hoc loco docet Aristoteles, hominem iuste operari, *primo* quidem si faciat iusta scienter, *deinde* si eligens actiones iustas quia iustae sunt, *tertio* autem si firmam et constantem voluntatem habeat semper iusta operandi, πρῶτον μὲν ἐὰν εἰδώς, ἔπειτ' ἐὰν προαιρούμενος καὶ προαιρούμενος δι' αὐτά, τὸ δὲ τρίτον καὶ ἐὰν βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων πράττῃ: minime autem ad hoc, ut quis iuste operetur, sufficere ut faciat iusta. Cf. quae de imputabilitate agentes diximus super. vol. I. thes. XXVI. pag. 214 et 215.: item cf. ea quae de virtutibus diximus super. vol. I. thes. LVI. pag 434.

(2) Vide super. vol. I. thes. XIV., in qua notiones et partitiones tum necessitatis tum libertatis tradidimus. Cf. etiam super. vol. I. thes. XXXIX., quae moralis obligationis conceptum exhibet.

(3) Recole ea, quae super. vol. I. thes. XXVII. diximus de merito eiusque essentialibus conditionibus.

ferentiae. Fit necessario ex necessitate tantum morali, quae tamen ipsa necessitas moralis seu obligatio adest solummodo consequenter ad liberam ipsius voventis determinationem. Si enim distinguamus inter actum vovendi, et voti impletionem, alterum quidem, i. e. solvere, fit necessario seu ex morali obligatione, primum autem, i. e. vovere, fit libere libertate etiam morali.

IV. Votum ad sui observationem *obligat.* — Cum de obligatione voti sermo est, duplex distingui debet obligatio, altera quasi *antecedens* ipsum votum, altera ex voto resultans seu ipsum *consequens.* Prior exigit ut votum debito modo fiat, altera exigit ut votum rite factum impleatur: prior violatur in voto faciendo, altera post votum iam factum (1). — De obligatione votum quasi *antecedente*, nullam in theseos enunciatione mentionem fecimus. At manifeste ad honestatem voti duo haec requiruntur, i. e. modus fidelis et prudens vovendi ac materia debita (2). Unde qui e. g. temere et sine debita

---

(1) De utraque hac obligatione sic Dantes, Par. V.:

Non prendano i mortali il voto a ciancia:
    Siate fedeli, ed a ciò far non bieci,
    Come fu Iepte alla sua prima mancia.
Cui più si convenia dicer: Mal feci,
    Che, servando, far peggio; e così stolto
    Ritrovar puoi lo gran duca de' Greci,
Onde pianse Ifigenia il suo bel volto,
    E fe pianger di sè e i folli e i savi,
    Ch' udir parlar di così fatto colto!

Vide quae de Iephte eiusque voto narrantur Iudic. XI.: et cf. s. Thomae explicationem, in 2. 2. q. 88. a. 2. ad 2.m De Agamemnone autem eiusque voto ita Tullius, de off. III. 16.: « Cum devovisset Dianae quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. »

(2) Cf. Suarez, de voto l. V. c. 1 et 2.

consideratione voveret aliquid, vel qui voto promitteret se facturum actionem aliquam ex se malam, aut ad Dei servitium nullo pacto conducentem, aut etiam actionem bonam, maioris tamen boni impeditivam, is sane Deum inhonoraret, maleque ageret. — De obligatione *consequente* fit mentio in thesi. De hac quoque dicam paucis, cum res satis sit manifesta. Etenim, ut s. Thomas (1) arguit, « ad fidelitatem hominis pertinet, ut solvat id, quod promisit. Unde secundum Augustinum (2) fides dicitur ex hoc, quod fiunt dicta. Maxime autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti. Et ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quaedam infidelitatis species. Unde Salomon (3) rationem assignat, quare sint vota reddenda, quia displicet Deo infidelis promissio. » Hinc s. Augustinus (4) eum, qui actum aliunde non obligatorium Deo vovit, sic compellat: « Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior: quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit, ut non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. *Minor* enim tunc esses, non *peior*. Modo autem tanto (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris. Nec

---

(1) L. iam cit. art. 3.

(2) Ep. 82. ad Hieron., al 19., num. 22.: « Fides in latino sermone ab eo dicitur appellata, quod fit quod dicitur. »

(3) Lib. Ecclesiastes V. 3. Et v. seq. subditur: « multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. »

(4) Ep. 127., al. 45., num. 8.

ideo te vovisse poeniteat, immo gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, et dicta imple factis: ipse adiuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quae in meliora compellit. » Item Leo Papa (1): « Si humana pacta non possunt impune calcari, quid eis manebit, qui corruperint foedera divini sacramenti ? »

Dices : obligatio non potest oriri nisi a lege vel ipsius Dei vel superioris loquentis nomine Dei. Atqui votum neque est lex Dei, neque lex superioris loquentis nomine Dei, sed est lex hominis privata. Ergo obligatio non potest a voto dimanare. — Respondeo: etsi votum dici soleat lex hominis privata, tamen hic loquendi modus est, ut patet, improprius. Neque enim, si *proprie* loqui velimus, votum est lex, sed est *promissio*, ut ex ipsa voti *definitione* constat : facta autem promissione, lex divina positiva atque etiam naturalis obligat ad id, quod voto promissum est, reddendum, siquidem iam id pertinet ad reverentiam Deo debitam (2). — Animadvertendum tamen est, obligationem, quam lex divina consequenter ad votum imponit, accipiendam esse *iuxta intentionem voventis*. Hinc s. Thomas (3) haec habet: « Si in intentione et voluntate voventis est obligare se ad *statim* solvendum, tenetur statim solvere. Sin autem *ad certum tempus* vel *sub certa conditione*, non statim tenetur solvere: sed nec debet tardare ultra quam intendit se obligare. »

33. Scholion. Quaeres tandem, utrum haec consequens obligatio voti tolli aut cessare umquam possit? —

---

(1) Ep. 90., al. 92., ad Rustic. c. 14.

(2) Cf. Suarez, de voto l. V. c. 3. num. 1. Cf. super. vol. 1. thes. XLI. pag. 337.

(3) Quaest. iam cit. art. 3. ad 3^m.

Lex, ut vidimus (1), duplici modo auferri potest aut desinere, i. e. vel *ab intrinseco* vel *ab extrinseco*. Similiter votum, quod cum lege comparari solet ac passim dici iuxta sensum modo explicatum lex quaedam hominis privata, potest duplici pacto tolli aut cessare, i. e. vel *ex se* seu *ab intrinseco* vel *aliunde* seu *ab extrinseco*.

Cessat *ex se* vel propter cessationem principalis motivi seu finis voti, vel propter substantialem materiae mutationem, vel propter impossibilitatem physicam aut moralem. Ut exemplum aliquod afferamus, qui e. g. vovit eleemosynam pro filii sanitate impetranda, deobligatur, si filius decedat: item qui vovit ieiunare tali determinata die, deobligatur, si ea die in morbum incidat.

Cessat autem *aliunde* vel per *irritationem*, vel per *commutationem*, vel per *dispensationem*. Pauca dicam de singulis. α) Irritatio distinguitur duplex, nempe *directa* et *indirecta*. Directa est *annullatio* voti facta ab eo (e. g. a patre), cuius potestati subest voluntas voventis (e. g. filii impuberis): scilicet in votis eorum, quorum voluntas est alterius potestati subiecta, debita haec subintelligitur conditio, si illi alteri placuerit vel si ille alter non renitatur. Indirecta est *suspensio* voti facta ab eo (e. g. a domino), cuius potestati subiacet *materia* voti (e. g. opera servi): scilicet in votis de re, quae alterius potestati subiacet, tacita haec subauditur conditio, si illi alteri, qui in eam rem ius habet, placuerit vel si ille alter non contradicat. Etenim ex lege naturae nemo potest alicui promittere aliquid in praeiudicium tertii. β) Commutatio voti est substitutio alterius operis honesti loco eius, quod promissum erat, sub eadem obligatione. Fieri autem potest tripliciter, vel in bonum *maius*, vel in bonum

(1) Cf. super. vol. I. thes. XXXVI. pag. 298., thes. L. pag. 395.

minus, vel in bonum *aequale.* γ) Dispensatio voti est absoluta eius condonatio seu relaxatio nomine Dei a superiore legitimo facta (1). Haec dispensatio debet distingui ab *interpretatione*, a qua scilicet magnopere differt. Nam dispensatio supponit adesse vinculum actu obligans et illud abrumpit: interpretatio vero supponit potius non adesse illiusmodi vinculum, et hoc declarat, nempe ipsum reapse non existere. Quare dispensatio non potest fieri nisi per superiorem potestatem: interpretatio autem potest interdum fieri auctoritate etiam privata, per doctrinam potius quam per iurisdictionem, quamvis, ut sit *authentica* et non mere *doctrinalis*, postulet et ipsa publicam potestatem (2).

---

(1) Haec condonatio, dicere quis posset, non est *dispensatio,* sed est *remissio debiti* (sicut homo remittens debitum promittenti non dispensat, sed donat ius suum), est *abrogatio voti.* — « Haec, respondet Suarez, de voto l. VI. c. 9. n. 17., de *nomine* tantum sunt. Ad *primum* (quod nempe debeat potius dici *remissio debiti*) fateor hanc esse quamdam remissionem debiti nomine Dei factam, quae potest dici *absolutio* vel *relaxatio,* et ita tollitur quaestio de nomine. Tamen quia non Deus ipse immediate, sed per suum Vicarium et quasi dispensatorem hanc facit remissionem, ideo merito dispensatio dicitur, eo vel maxime quod non vocatur dispensatio *in praecepto* sed *in voto;* ex qua fit ut cesset obligatio praecepti reddendi vota, licet in eo non dispensetur. Ad *secundum* (quod nempe debeat potius dici *abrogatio voti*) etiam concedi potest, hanc esse quamdam abrogationem voti, maxime quando totaliter aufertur: nam si ex parte auferatur, et ex parte relinquatur (ut fieri potest), magis retinebit modum dispensationis. Verumtamen, licet respectu ipsius personae, a qua votum aufertur, videatur haec esse voti abrogatio, tamen respectu aliorum habentium similia vota, a quibus non auferuntur, vocatur haec dispensatio, quia iugum castitatis, verbi gratia, ab uno aufertur et non ab omnibus. »

(2) Cf. Suarez, de voto l. VI. c. 9. num. 2. Cf. etiam num. 4.: « Interpretatio voti versatur vel circa materiam vel circa intentionem

Ut s. Thomas ait (1), « utrumque (i. e. tum *commutare* vota in bonum etiam minus, tum eadem non modo *interpretari authentice*, sed etiam vere *dispensare*) in potestate Ecclesiae consistit. » Quocirca ii errant, qui distinguentes inter rem de qua fit votum (i. e. obiectum seu materiam voti) et promissionem ipsam sive pactum quod cum Deo initur (i. e. formam seu essentiam voti), docent, ab Ecclesiastica auctoritate posse quidem materiam voti in aliam maiorem vel aequalem commutari, promissionem vero dissolvi quoad obligationem seu remitti non posse. Quae doctrina eo redit, ut in Ecclesia recognoscatur potestas commutandi vota, non autem in iis vere proprieque dispensandi. Atqui non ita res se habet: sed utrumque, ut cum s. Thoma diximus, in potestate Ecclesiae consistit. — Obiicies: lex praecipiens, ut vota Deo solvantur, est *naturalis*: ergo in ea nequit dispensatio ulla admitti. Respondet Suarez (2), distinguendo inter legem de voto servando, quousque hoc durat, et ipsum votum: hoc relaxari seu tolli potest, illa non potest. Admittimus ergo dispensationem *in voto*, non autem *in praecepto* naturali servandi votum, quousque hoc durat: ut admittimus abrogationem legis alicuius humanae, non autem abrogationem legis naturalis praecipientis custodiam legis humanae, quousque haec viget ac stat. « Lex naturalis in praesenti est, ut vota Deo reddantur,

---

voventis: dispensatio autem datur ex parte Dei, qui tamquam dominus vel tamquam creditor cedit iuri suo. » — De interpretatione diximus super. vol. I. pag. 396.

(1) In 2. 2. q. 88. a. 10. De quo s. Thomae loco cf. Suarez, de voto l. 6. c. 9. num. 6.

(2) De voto l. VI. c 9. num. 9. Cf. quae diximus super. vol. 1. thes. XXXVI. de immutabilitate legis naturalis, praesertim vero pag. 305.

quae sicut non incipit obligare nisi postquam fit votum, ita non conservat obligationem (ut sic dicam) nisi durante voto; si autem votum semel factum auferatur, cessabit obligatio illius legis sine dispensatione in illa; hoc ergo fit per dispensationem voti. Affert exemplum D. Thomas (1) de lege humana: nam etiam lex naturalis dictat esse servandam legem humanam; si tamen lex humana auferatur vel simpliciter vel in casu, iam non obligabit illa lex naturalis, licet in ea non fiet dispensatio. » Et paulo inferius (2) addit: « Hoc modo votum mutare non est contra legem naturalem reddendi vota, quia lex illa solum petit immutabilitatem in voluntate promittentis sine consensu promissarii, non autem illo consentiente vel iuri suo cedente per se vel per vicarium suum. »

Haec, inquies, omnia valent in praesenti *supernaturali* ordine: eatenus enim haec omnia scimus ac tenemus, quatenus Christus Dominus aperte dixit, soluta fore in caelis ea, quae Petrus solveret in terris. At quid fuisset in ordine ac statu purae naturae sola ratione naturali ductae? — Respondeo in eo etiam ordine ac statu vota *ex se* seu *ab intrinseco* potuissent cessare. Potuissent etiam *ab extrinseco* tolli per irritationem directam vel per indirectam irritationem suspendi: etiam commutatio in bonum evidenter melius (3) potuisset quandoque habere

(1) In 2. 2. q. 88. a. 10. in respons. ad 2m.

(2) Num. 16.

(3) Docent communiter auctores, quemque posse privata auctoritate votum suum commutare in opus evidenter melius (modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit); quia dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat, quod promiserat, cum perfectum in perfectiori includatur. Melius autem censetur, quod ad maiorem utilitatem spiritualem voventis ac maius Dei obsequium conducit. Cf. Gury, de voto num. 334.

locum. De cetero « in pura natura, ut disserit Suarez (1), difficile creditu est, futuram fuisse potestatem dispensandi, quasi proprietatem consequentem naturam, sicut esset potestas gubernandi rempublicam, tam in politicis, quam in his quae ad religionem pertinent. Nam cum dispensatio includat interpretationem voluntatis Dei quasi remittentis debitum in tali vel tali casu, in quo ipsa obligatio per se aut seclusa dispensatione non cessaret, vix credi potest, potestatem ad talem declarationem faciendam sequi ex vi solius naturae. Quis enim potest per rationem naturalem declarare beneplacitum Dei, vel quomodo constare posset consensuram divinam voluntatem in remissione debiti cum hominis arbitrio? Ut enim nobis constaret, necessarium fuit, ut Christus dixerit, soluta fore in caelis, quae Petrus solveret. At per rationem nihil tale vel simile etiam quoad aliquam participationem cogitari poterat. Igitur si in illo statu essent vota, servanda essent, donec tanta fieret mutatio rerum, ut eorum obligatio cessaret, iuxta regulam supra positam cum proportione applicatam. Et licet hoc iugum esset grave et difficile ad observandum, tamen imperfectio naturae humanae sibi relictae his et gravioribus malis subiecta est, quibus per gratiam Christi subventum est. » — Obiicies. Votum est lex hominis privata. Atqui lex per illam voluntatem, per quam lata est, potest auferri vel temperari. Ergo votum tolli potest vel minui per voluntatem ipsius voventis. Quare vovens et nunc in praesenti ordine potest, et in statu etiam purae naturae potuisset seipsum propria privata auctoritate dispensare in voto. Respondeo cum eodem eximio doctore (2): «In hoc differt lex privata, quae

(1) De voto l. VI. c. 9. num. 20.

(2) De aliis, quae institui possent, circa votum quaestionibus

est votum, a lege propria et publica, quod haec per eamdem voluntatem, per quam lata est, potest auferri vel temperari ex causa iusta; illa vero, cum non sit *propria* lex, sed *promissio*, non pendet amplius ex voluntate promittentis, quia non potest ipse suo arbitrio auferre a se obligationem, quam semel contraxit, quia hoc repugnat cum vera ratione et obligatione promissionis etiam inter homines. Et ideo ut tollatur obligatio, necesse est, ut vel tanta sit rerum mutatio, ut per se cesset, vel ut a superiore auferatur, legitima causa interveniente. »

Thesis XI.

Iuramentum est licitum secundum se et honestum. Ut autem recte fiat, hos debet habere comites, veritatem et iudicium et iustitiam.

34. Praenotiones. Humanae infirmitatis effectus est, quod alter alteri in iis, quae testatur aut promittit, difficile credat. Huic malo ut remedium afferant, « *homimines per maiorem sui iurant* » (1), i. e. per Deum: scilicet, homines per hoc ad ipsam primam veritatem, quae nec falli nec fallere potest, confugium intendunt omne

---

agemus aliis locis. E. g. de quaestione, utrum vota ex metu gravi, dolo vel errore emissa obligent, breviter agemus in tractatu *de contractibus.*

(1) Ita Apost. ad Rom. VI. 16. Quae verba explicans s. Thomas, « illud, inquit, per quod iuratur, est maius, et hoc rationabiliter. Nihil enim aliud est iurare, nisi dubium confirmare. Sicut ergo in scientiis nihil confirmatur, nisi per id quod est magis notum; ita quia nihil certius est apud homines, quam Deus, ideo per ipsum tamquam per maius et certius iuratur. » Cf. 2. 2. q. 89. a. 4.

ab aliorum mentibus dubium de propria veracitate expellere, seu, ut dici solet, alios certificare. Illud itaque est inquirendum, utrum hic ad Dei testimonium recursus sit licitus necne. Neque deest ratio hac de re dubitandi. Notae enim sunt gravium auctorum sententiae, quae praecipiunt, ut prorsus a iuramento quamvis iusto abstineamus. Ὅρκον δὲ φεῦγε, ita Menander, κἂν δικαίως ὀμνύῃς. Iuramentum autem fugias, etsi iuste iurare possis. Nil porro dicam de variis s. Scripturae locis, in quibus praecipitur, ne iuremus omnino. — Ut autem clare ac recte difficilem hanc solvamus quaestionem, necesse est *definitionem* iuramenti eiusque *divisiones* accurate praestabilire.

I. Iusiurandum (1) est invocatio Dei in testimonium vel ad fidem dictis faciendam vel ad promissionem confirmandam. Dicitur, *invocatio Dei:* quae verba exhibent genus, sub quo iuramentum continetur, per differentias determinandum. Hinc ea statim adduntur verba, *in testimonium* (2): quibus verbis iuramentum secernitur a pluribus aliis, et praesertim ab oratione, quae et ipsa est invocatio Dei, non tamen Dei, ut primae veritatis in testimonium, sed Dei ut summae bonitatis in auxilium. Definitio tandem iis absolvitur verbis, *vel ad fidem dictis fa-*

---

(1) Iusiurandum multi putant dictum, quasi *Iovis iurandum.* Licet id non adeo plane liqueat, hoc tamen certum est, Iovem prae ceteris Diis creditum praeesse iuramentis. Hinc Euripides, in Medea v. 169., ait de Iove: ὅρκων θνατοῖς ταμίας νενόμισται, iuramentorum custos hominibus existimatur.

(2) Subintellige, in testimonium *ut exhibendum.* Qui ergo ad aliquid probandum inducit auctoritatem s. Scripturae, is non iurat: aliud enim est, uti testimonio Dei *iam dato,* et aliud implorare testimonium Dei *ut exhibendum.* Hoc alterum, non vero primum illud, est iurare. Cf. s. Th. l. cit. a. 1. ad 1[m].

ciendam vel ad promissionem confirmandam: iisque verbis expresse exhibetur duplex iurisiurandi finis, qui est vel conciliare fidem iis, quae affirmamus, vel roborare promissionem, quam alteri facimus. — Apposite s. Thomas (1): « Assumere Deum in testem dicitur *iurare*: quia pro *iure* introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur. »

II. Iusiurandum varie dividitur. — α) Aliud est *contestatorium*, aliud vero *exsecratorium* seu *imprecatorium*. Quam divisionem facile intelliges, si animadvertas, Deum posse duplici modo a nobis invocari, nimirum vel tantummodo ut *testem* nostrarum assertionum et promissionum, vel ut earumdem testem simul ac *iudicem* et *vindicem*, qui nos, si periuri sumus, meritis plectat poenis. Quando itaque priori modo Deum dumtaxat ut testem invocamus, tunc iuramentum dicitur contestatorium: quando autem posteriori modo invocamus Deum ut testem simul ac iudicem vindicemque falsitatis, si haec

---

(1) Loc cit. a. 1. — « Est, inquit Tullius, de off. l. III. c. 18., iusiurandum affirmatio religiosa. » Item auctor Rhetoricae ad Alexandrum, cap. 17.: *Ὅρκος δ᾽ ἐστὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος.* Et subiungit: *Δεῖ δ᾽ αὐτὸν ὅταν μὲν αὔξειν θέλωμεν, λέγειν οὕτως· οὐδεὶς ἂν ἐπιορκεῖν βούλοιτο, φοβούμενος τήν τε παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίαν καὶ τὴν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις αἰσχύνην, καὶ διεξιέναι ὅτι τοὺς μὲν ἀνθρώπους λαθεῖν ἔστι, τοὺς δὲ θεοὺς οὐκ ἔστιν.* Iusiurandum est declaratio seu dictio cum divina invocatione probationis exspers. Quum autem illud roborare voluerimus, ita oportet dicere: *Nemo certe peierare velit, metuens poenam a diis et nominis infamiam apud homines*, et subiungere: *latere aliquem homines posse, deos autem non posse.* — Hic liber Ῥητορικὴ πρὸς Ἀλέξανδρον exstat inter opera Aristotelis, cui scilicet olim tribuebatur. Verum omnes nunc critici conveniunt, illius operis auctorem certe quidem non esse Aristotelem, probabiliter autem esse Anaximenem, qui discipulus fuit Zoili et Diogenis Cynici, atque etiam Alexandri M. comes in Asiatica expeditione. Cf. Spengel, *συναγωγὴ τεχνῶν.*

adsit, iuramentum est exsecratorium. Ad rem angelicus Doctor (1): « Duplex est iurandi modus. Unus quidem *per simplicem Dei contestationem:* sicut cum aliquis dicit, *Est mihi Deus testis*, vel, *Coram Deo loquor*, vel, *Per Deum*, quod idem est, ut dicit s. Augustinus (2). Alius modus iurandi est *per exsecrationem* (3), dum scilicet aliquis se vel aliquid ad se pertinens ad poenam obligat, nisi sit verum quod dicitur. » Notentur ea verba, *se vel aliquid ad se pertinens*. Etenim aliquando non nosmetipsos tantum, sed alios etiam nobis caros aut res nostras obligamus seu devovemus Deo, ut in iis nos puniat. — β) Iu-

---

(1) Loc. cit. ad 3^m^. Cf. etiam art. 6^m^. Item cf. comm. in ep. ad Hebr. cap. VI. lect. 4. — Sunt qui dicant, omne iuramentum esse essentialiter *exsecratorium*. Atqui non ita res se habet. Aliud enim est, Deum, qui invocatur ut *testis*, esse etiam *vindicem* periurii: aliud est invocare Deum formaliter seu reduplicative *ut testem simul et ut iudicem vindicemque*.

(2) L. 1. de serm. Dom. in monte, n. 17. Item cf. serm. 28. de verbis Apostoli. — Exemplum iuramenti contestatorii habes apud Virgilium, Aeneid. l. XII. v. 201., in celebri illo foedere inter Aeneam et Latinum:

> Tango aras, mediosque ignes, et Numina testor:
> Nulla dies pacem hanc Italis, nec foedera rumpet.

Vides, similem morem ad nos transiisse: siquidem nos etiam iurantes solemus sacris altaribus vel sacris libris dextram imponere.

(3) Exemplum iuramenti exsecratorii est illud Apostoli, 2. Cor. 1. 23.: *Testem Deum invoco in animam meam*, quasi dicat, ut s. Thomas ea verba exponit: Obligo animam meam pro testimonio, pro quo ipsum nomen Dei assumo. — Ut exemplum aliud afferam iuramenti huius exsecratorii, veteres Romani, lapidem proiicientes, haec proferebant verba: Si sciens fallam, ita me Diespiter, salva urbe arceque, bonis eiiciat, ut ego hunc lapidem. — Frequens erat apud populum Iudaicum hic iurandi modus: Haec mihi faciat Deus et haec mihi addat etc.

ramentum fit vel per ipsum Deum, vel per rem aliquam creatam. Duplici autem modo potest res creata considerari, nimirum vel secundum se vel secundum quod in ea elucet aut apprehenditur divinum Numen. Re creata priori modo inspecta, per eam iurare non est verum iusiurandum. Et sane vel res illa intelligit id, quod dicimus, vel non. Si hoc alterum, stultum est eam adducere in testimonium. Si primum, potest quidem vocari secundum se in testimonium, non tamen ut prima et infallibilis veritas: hoc autem requiritur ad proprium verumque iusiurandum, ut is, qui in testimonium invocatur, invocetur tamquam veritas prima atque infallibilis. At re creata altero modo inspecta, prout scilicet speciali quadam ratione divinum Numen in ea continetur aut elucet, sic per eam iurare est verum iusiurandum. Ita qui per coelum iurat, censetur iurare per Deum, qui in coelo, tamquam suo in regno seu throno, residet: qui per sanctam Crucem iurat, per Eum iurat, qui pro nobis tanto amoris excessu pependit in ligno. Item « iuramus per Evangelium, idest per Deum, cuius veritas in Evangelio manifestatur, et per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt et observaverunt » (1). — γ) Iusiurandum dividitur in *assertorium* et *promissorium* (2). Assertorium est, quando Deum invocamus simpliciter ut *testem* veritatis eorum, quae affirmamus vel negamus, e. g. nos tali die ea in domo Titium vidisse. Promissorium est, quando Deum

---

(1) Loc. cit. art. 6.

(2) Cf. s. Thomam, l. cit. art. 1. — Sunt qui iuramento assertorio et promissorio addant *comminatorium*, quo quis aliquam alteri minitatur poenam, addita supremi Numinis invocatione, ut scilicet iurisiurandi religione adstrictus non audeat parcere. Ea, quae de iuramento promissorio dicimus, aptentur, proportione servata, iuramento etiam comminatorio.

vocamus *testem* praesentis nostrae intentionis seu voluntatis sincerae faciendi id, quod promittimus, et insuper adhibemus *fideiussorem* (1) seu sponsorem futurae exsecutionis rei illius, quam promittimus, e. g. nos tali die depositum reapse reddituros. Hinc vides, in iuramento promissorio includi assertorium, ac proinde omne quidem iusiurandum promissorium esse etiam assertorium, non tamen e converso. Item vides, quod in iuramento assertorio nullam intendimus nobis imponere novam obligationem pro futuro, sed solum conciliare fidem iis, quae affirmamus, ut ea credantur: in promissorio autem volumus novam *ex virtute religionis* assumere obligationem de promissione debito tempore implenda, et sic speciali vinculo nos obstringere erga illum, cui aliquid promittimus. Vides etiam, quod in iuramento assertorio una tantum requiritur veritas, ea nempe quae expresse affirmatur. Haec si absit, culpa, ut statim fuse declarabimus, incurritur: idque, « quantumvis, ut bene ait Solimani (2), exigua sit res, de qua agitur: quia nimirum omnia vera quoad Dei testimonium eiusdem sunt rationis. » In promissorio autem duplex requiritur veritas, una *de praesenti* sita in voluntate exsequendi id quod promittitur, altera *de futuro* consistens in promissorum executione. Veritas de praesenti appellari potest veritas *dicti*: veritas autem de futuro potest veritas *facti* nuncupari. Ex parte vero *materiae*, hoc interest discrimen inter iuramentum assertorium et promissorium, quod prioris materia sint facta *praeterita* vel *quae actu fiunt*,

---

(1) Fideiussor seu sponsor est ille, qui aliquid pro alio promittit: est scilicet auctor credendi, alium aliquid daturum facturumve sua fide suoque periculo promittens.

(2) Phil. mor. pars sec. cap. I. art. II.

alterius autem sint facta *futura*. Ad rem s. Thomas (1): « Divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum praesentia vel praeterita, et hoc dicitur iuramentum *assertorium*. Quandoque autem inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum, et hoc dicitur iuramentum *promissorium*. »

35. Demonstratio. Iuramentum esse *ex se* honestum, sic praeclare demonstrat s. Thomas (2): « Nihil prohibet aliquid esse *secundum se* bonum, quod tamen cedit in malum eius, qui non utitur eo convenienter. Sicut sumere Eucharistiam est bonum, et tamen qui indigne sumit, *iudicium sibi manducat et bibit* (3). — Sic ergo in proposito dicendum est, quod iuramentum *secundum se* est licitum et honestum. Quod patet *ex origine* et *ex fine:* ex origine quidem, quia iuramentum est introductum ex fide, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem et universalem omnium cognitionem et provisionem: ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iustificandum homines et ad finiendum controversias (4). — Sed iuramentum cedit in malum alicui

---

(1) In 2. 2. q. 89. a. 1. — Quaeres, utrum omnia *futura* possint esse materia iuramenti *promissorii?* Respondeo: « Quae per alias causas fieri debent, vel ab aliena voluntate pendent, non possunt ab aliquo sub iuramento *promitti*, nisi fortasse quatenus aliquo modo fieri possunt ab eo qui iurat, vel applicando causam, vel inducendo illam, vel alio simili modo. » Ita Suarez, de iuram. l. II. c. 12. n. 1. Cf. etiam l. I. c. 10.

(2) In 2. 2. q. 89. a. 2.

(3) Verba sunt ex 1. Cor. XI. 28.

(4) In ep. ad Hebr. VI. 16. haec leguntur: « Homines per maiorem sui iurant: et omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. » Quae postrema verba sic explicat s. Thomas: « Effectus iuramenti in hoc consistit, quod per iuramentum finitur omnis controversia. Sicut enim in scientiis, quando resolvitur

ex eo, quod male utitur eo, idest sine necessitate et cautela debita. Videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi causa testem inducit: quod non praesumeret etiam de aliquo viro honesto. Imminet etiam periculum periurii: quia de facili homo in verbo delinquit.» Iisdem duabus rationibus, ex *origine* et ex *fine*, utitur Solimani (1) ad probandum iuramentum esse *secundum se* honestum: « Huiusmodi actione tacite testamur, Deum habere providentiam rerum humanarum, omniumque cognitionem ac potestatem. Praeterea iusiurandum facit, ut nos ob timorem et reverentiam divini numinis verum dicamus, fidem servemus, pacem cum aliis colamus, pactis stemus, litibus finem imponamus, quae bona sunt atque ad humanam felicitatem obtinendam inprimis necessaria. » Neque aliter alii arguunt auctores, ex *origine* nempe iurisiurandi, eiusdemque *fine*.

Ut autem plenius intelligatur, quaenam requirantur et sufficiant conditiones, ut iuramenti, quod proculdubio secundum se est bonum, usus etiam sit bonus ac conveniens, notissima illa considerentur verba, quae apud Ieremiam (2) leguntur: « Iurabis, Vivit Dominus, in ve-

---

usque ad prima principia demonstrabilia, quiescitur; ita divina lege introductum est, quod cum pervenitur ad primam veritatem, est status, quod fit quando ipsa in testimonium invocatur. »

(1) Loc. iam cit.

(2) Cap. IV. v. 2. Quae in verba sic apte s. Thomas, 2. 2. q. 89. a. 3.: « Ad bonum usum iuramenti duo requiruntur. — *Primo* quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete iuret: et quantum ad hoc requiritur *iudicium*, scil. discretionis ex parte iurantis. — *Secundo* quidem, quantum ad id, quod per iuramentum confirmatur, ut scil. neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum: et quantum ad hoc requiritur *veritas*, per quam aliquis iuramento confirmat quod verum est, et *iustitia*, per quam confirmat quod licitum est. »

ritate et in iudicio et in iustitia.» Quae in verba ita s. Hieronymus: « Animadvertendum, quod iuramentum hos habeat comites, *veritatem* et *iudicium* et *iustitiam.* » Hi sane comites in omni iuramento et *requiruntur* et *sufficiunt.*

Dixi 1°.) quod ii comites requiruntur. — Et sane requiritur proculdubio *veritas.* Scilicet in omni iuramento *assertorio* debemus illud tantummodo affirmare, quod certo scimus esse verum, et in omni iuramento *promissorio* debemus illud tantummodo promittere, quod sincere volumus implere. Haec sane veritas requiritur omnino: qui enim hac sine veritate iuraret, is tacite et aequivalenter assereret, Deum aut res nescire aut mendacio et iniquitati favere. Praeterea « finis iuramenti, ut bene arguit Suarez (1), est confirmatio veritatis, ut sumitur ex s. Paulo (2). Ergo defectus veritatis est directe et maxime contrarius fini iuramenti, et prorsus destruit et enervat auctoritatem eius. Ergo omnino etiam destruit eius honestatem. » Porro in iuramento promissorio praeter veritatem *dicti* seu *de praesenti* requiritur etiam veritas *facti* seu *de futuro.* Sed hac de re in scholio, quod huic thesi addemus, pertractabimus. — Requiritur etiam *iudicium* seu *discretio.* Scilicet iuramentum non debet fieri, nisi cum timore ac reverentia in Deum (huius autem rei ratio est manifesta), et consequenter nonnisi ex sufficienti ac proportionata causa. Dixi, *consequenter.* Ut enim iam diximus ex s. Thoma, « videtur parvam reverentiam habere ad Deum, qui

---

(1) De iuram. l. 1. c. 3. num. 2.

(2) Hunc locum nuper adduximus: « Homines per maiorem sui iurant, et omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. » Unde s. Thomas, 2. 2. q. 89. a. 5. ad 1um., differentiam inter iuramentum et votum constituit in hoc, quod per votum aliquid in Dei reverentiam ordinamus, sed in iuramento e converso reverentia divini nominis ad veritatis confirmationem ordinatur.

eum ex levi causa testem inducit: quod non praesumeret etiam de aliquo viro honesto: imminet etiam periculum peccandi, quia de facili homo in verbo delinquit. » Itaque proportionata causa omnino requiritur, *primo* quidem propter reverentiam Deo debitam, *secundo* autem propter labilitatem linguae humanae. « Causae vero in quibus liceat iurare, hae sunt. *Primo*, pro pace firmanda, sicut Laban iuravit (1). *Secundo*, pro fama conservanda. *Tertio*, pro fidelitate tenenda, sicut feudatarii iurant dominis. *Quarto*, pro obedientia implenda, si praecipitur a superiore aliquid honestum. *Quinto*, pro securitate facienda. *Sexto*, pro veritate attestanda, sicut iuravit Apostolus (2): *Testis enim mihi est Deus.... quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* » Sic sufficientes iurandi causas breviter ac generaliter assignat s. Thomas (3). Idem s. Doctor alio loco (4) compara-

---

(1) Gen. XXXI. 48-53.

(2) Rom. I. 9. — S. Augustinus, in l. de mend. c. 15., haec de Apostolo habet: « Apostolus in epistolis suis iurans ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est, *Dico vobis, non iurare omnino*: ne scil. iurando ad facilitatem iurandi perveniatur. et ex facilitate ad consuetudinem, et a consuetudine in periurium decidatur. Et ideo non invenitur iurasse nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam praecipitem. »

(3) In comment. in ep. ad Hebr. c. VI. lect. 4. — Ex dictis apparet, quo sensu Dominus in Evangelio, Matth. V., et s. Iacobus in sua Epistola, cap. V., praecipiant *ne iuremus*, i. e. sine debita reverentia ac necessitate. Haec necessitas frequenter abest: saepe enim sufficit simplex affirmatio vel negatio. Sic etiam intelligas sententiam ab initio allatam Menandri. — Isocrates duas admittit causas iurisiurandi, et quidem ἐπακτοῦ, i. e. iudicialis, *vel ut teipsum a turpi crimine solvas, vel ut amicum e magno periculo liberes*, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων. Et addit: ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, pecuniae vero causa nullum Deum iuraveris. Haec autem, ut patet, sunt rigorose nimis dicta.

(4) In 2. 2. q. 89. a. 5.

tionem instituit inter medicinam et iuramentum. Medicina iuvat ad subveniendum infirmitati, cui aliquis est obnoxius: iuramentum valet, ad subveniendum defectui, « quo unus homo alteri discredit. » Quemadmodum vero medicinam non adhibemus, nisi quando necessitas cogat; ita iurare non debemus, nisi vera necessitate compulsi. — Tertius boni iuramenti comes est *iustitia*. « Nomine iustitiae, inquit Suarez (1), in hac conditione seu comite iuramenti intelligi debet non solum iustitia *particularis*, sed etiam *generalis*, prout de omni virtute dicitur (2), ita ut idem sit materiam iuramenti debere esse *iustam*, quod debere esse *honestam*. » Haec conditio sic explicata patet de iuramento promissorio, prout ab assertorio distinguitur. De iuramento autem pure assertorio dubitare quis posset, an ad liceitatem ipsius requiratur materia iusta seu honesta. Nonne, sic posset quis arguere, nonne qui de homicidio testificantur coram iudice civili, licite iurant, quamvis de re prava testimonium praebeant? Ad hanc tollendam dubitationem, duplex distinguenda est materia iuramenti, una *proxima* et altera *remota*. « Proximam appello, ita eodem loco pergit idem eximius doctor, assertionem ipsam, nam illa est, in quam immediate cadit iuramentum: remotam voco rem aut factum, de quo est assertio; sicut in sacramento poenitentiae peccata dicuntur materia remota sacramenti, confessio autem proxima. Dico ergo ad honestatem iuramenti assertorii non esse necessariam honestatem in materia *remota*. Nihilominus tamen verum est, conditionem hanc esse necessariam in iuramento assertorio ex parte materiae

---

(1) De iuram. l. 1. c. 3. num. 4.

(2) Hac de divisione iustitiae diximus saepius et in hoc et in praecedenti volumine. Vide huius voluminis pag. 20. adnot. 2.

proximae: non enim est satis, ut assertio sit vera, si alias sit iniusta vel inhonesta, ut licite possit iuramento confirmari. » Sic e. g. qui factum occultum, etiam honestum, proximi, quod sub secreto servare tenetur, revelat, suamque assertionem iuramento confirmat, is illicite utitur iuramento. Ratio autem est, quia contra reverentiam divinitati debitam agit ille, qui invocat Deum in testem ad confirmandam assertionem iniquam, quocumque modo iniqua sit, et de quacumque materia sit.

Dixi 2°.) quod tres hi comites sufficiunt. — Ratio vero est, quia iuramentum iis conditionibus *veritatis*, *iudicii* et *iustitiae* affectum non habet, unde possit esse illicitum. « Loquimur enim *per se* et intra latitudinem religionis et ex vi talis actus. Nam per accidens et ex parte operantis vel ex specialibus circumstantiis loci aut temporis poterit adiungi malitia et pravae intentionis et scandali aut similes. Sed *haec, quae sunt per accidens, non cadunt sub scientiam,* quamvis possint haec omnia sub *iudicio* comprehendi. » Ita, et egregie quidem, noster Suaresius (1).

Itaque iuramentum, quando tribus hisce comitibus circumdatum procedit, est, ut ipse Philosophus ait (2), quid honorabilissimum: ὅρκος τὸ τιμιώτατόν ἐστιν. Honorabilissimum quidem est, protestari, Deum omnia intueri, et esse maxime fidelem, veracem, veritatisque defensorem. At in Dei dedecus cedit iuramentum, si qua ex tribus

---

(1) De iuram. l. I. c. 3. num. 9. — E. g. cum iurare per creaturam *absolute* et *secundum* se spectatam sit idololatria, si iuramentum *absolute* fiat, et fiat *inter eos qui non satis valent discernere quo sensu fiat,* facile potest iis scandalum praeberi, et ideo in hoc cautionem adhibere necesse est. Cf. eumdem auctorem l. c. c. 5. num. 7.

(2) Metaph. I. 3.

illis conditionibus ei desit, praecipue vero si veritas desit et iustitia: qui enim sic iurat, is, ut iam diximus, affirmat Deum aut res nescire aut mendacio et iniquitati favere.

Quare iuramentum malum potest distingui triplex, i. e. *incautum*, *mendax* et *iniquum* seu *illicitum*. α) Incautum est illud, quod caret iudicio. β) Mendax est illud, quod caret veritate, et hoc dicitur proprio nomine *periurium*. γ) Iniquum seu illicitum est illud, quod caret iustitia (1).

36. Scholion. Ut pluries iam diximus, in omni quidem iuramento requiritur *veritas de praesenti*, qua deficiente, habetur semper periurium. At in iuramento promissorio praeter veritatem hanc de praesenti, i. e. sinceram voluntatem faciendi id quod promittitur, requiritur etiam *veritas d. futuro*, i. e. veritas facti seu rei promissae exsecutio. « Tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod promisit (adhibendo Deum tamquam fideiussorem): alioquin deest veritas in iuramento » (2).

In iuramento igitur promissorio duplex (quemadmodum paulo ante de *voto* agentes diximus) obligatio debet distingui, una quidem quasi *antecedens* iuramentum et exigens, ut ipsum rite fiat cum veritate, iudicio et iustitia, altera vero *consequens* iuramentum factum et exigens, ut id quod promissum est, reddatut. Etenim « iuramentum promissorium obligat ratione veritatis, ne contingat Deum esse invocatum in testimonium falsitatis » (3). Haec porro animadverte.

Primo. Obligatio haec *consequens* oritur ex iuramento promissorio, quod non sit de re mala, seu cui non desit

---

(1) Cf. Suarez, de iuram. l. III. c. 3. num. 8.

(2) In 2. 2. q. 89. a. 7. Recte Tullius, de off. l. III. c. 18.: « Quod affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est. »

(3) De iuram. l. 2. c. 12. num. 5.

iustitia. Si enim haec desit, seu si iuramentum sit *iniquum*, aperte patet, nullam esse posse obligationem illud implendi. Nemo enim potest obligari ad rem malam legique Dei oppositam implendam. Insuper nequit idem simul praecipi et prohiberi: alioquin homo ad impossibile obligaretur.

Secundo. Promissio, quae alteri fit, saepe adiectas habet conditiones — sive generales (1), sive speciales — sive expressas, sive tacitas — sive ex mente loquentis, sive ex iuris dispositione, sive ex recepta consuetudine. Iamvero si tali promissioni adiungitur iusiurandum, hoc conditiones illas a promissione non aufert, sed immo eas in se suscipit. Brevius, iusiurandum sequitur naturam promissionis, cui superadditur: si haec sit absoluta, et illud absolutum est, si ea sit conditionata, et illud est conditionatum (2). Et re quidem vera, quem in scopum promissioni superadditur iusiurandum? Non quidem, ut promissio evadat alia vel recipiatur aliter, quam per se accipi solet, sed ut alter certior fiat, nos promissionem,

---

(1) Praecipuae conditiones *generales* sunt hae tres: *prima*, si potuero: *secunda*, si licite potuero: *tertia*, nisi praelatus habens in me auctoritatem aliud disposuerit, utique ex rationabili causa et iuste utendo facultate sua. — Inde vero minime colligas, omne iuramentum esse conditionatum seu nullum dari iuramentum absolutum. Etenim absolutum iuramentum est, quod non habet *specialem conditionem quasi additam ex peculiari intentione operantis*: conditionatum autem est, quando talis conditio additur. — Haec autem valent etiam de *voto*.

(2) Hoc est principium, quod cum communi Doctorum statuit Suarez, de iuram. l. 2. c. 32. n. 3.: « Iuramentum de se non mutat vel auget naturalem seu humanam obligationem actus, cui adiungitur, sed solum addit illi *religionis* obligationem; quia supponit actum, cui adiungitur, et illum afficit addendo vinculum altioris rationis, et ideo de se non mutat naturam talis actus sed illummet induit sua obligatione. »

intellectam eo modo quo intelligi consuevit, reapse impleturos, tum aliis de causis, tum praecipue ob speciale virtutis religionis motivum, quo ex adiecta supremi Numinis invocatione fortiter impellimur ad eam implendam. Ex his autem patet, fieri interdum posse, ut id, quod prudenter promissum est et iuramento confirmatum, absque culpa et sine debitae veritatis detrimento exsecutioni non detur, quia scilicet promissio ac iusiurandum quasdam includebant conditiones, quae non verificantur. Immo ex conditionum, quae subaudiuntur, defectu fieri potest, ut illicita et culpabilis sit impletio promissionis et iuramenti. Hinc s. Ambrosius (1) dixit: « Est contra officium nonnumquam promissum solvere, sacramentum custodire: sicut Herodes, qui necem Ioannis praestitit, ne promissum negaret. » De hoc Herodis iuramento ita s. Thomas (2): « Hoc iuramentum poterat esse a principio licitum, intellecta debita conditione, scil. si peteret, quod dare deceret, sed impletio iuramenti fuit illicita. »

Quaeres, quid ergo dicendum sit de eo, qui iuramento promittit aliquid (e. g. se post mensem centum aureos publico valetudinario daturum) cum animo iurandi ac se obligandi, simulque etiam cum animo non reddendi rem iuramento promissam (3). — Responsio

---

(1) De off. l. I. cap. 50. Huc referri possunt illa Ciceronis, de off. l. III. c. 16.: « Promissa non facienda nonnumquam, neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens, reddere, peccatum sit, non reddere, officium. »

(2) In 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2m. Exemplum aliud esse potest, « cum aliquis iurat se pecuniam soluturum, quae ei postmodum vi vel furto subtrahitur: tunc enim videtur excusatus esse a faciendo quod iuravit. » Ibid. in corp. art.

(3) Nil dico de alia hypothesi, videlicet alicuius, qui iuramento promittat aliquid cum animo non iurandi aut se non obligandi. Ut

patet ex dictis, is peccat, peccato quidem *interno*, quando iuramentum eo pacto profert, peccato vero *externo*, quando obligationem ex prolato iuramento ortam tempore debito non implet (e. g. quando post mensem publico illi valetudinario non solvit centum aureos). Si quod autem ius ex promissorio illo iuramento alteri advenerit, tunc promissionem non implendo iniuria illi alteri irrogatur: quae iniuria perseverat, donec iuri ab altero acquisito non satisfiat (e. g. donec ea pecuniae vis publico illi valetudinario non solvatur).

Illud porro quaeres, an et quomodo cesset obligatio iuramenti promissorii? Duplici modo, nempe *ab intrinseco* et *ab extrinseco*. — Cessat ab intrinseco, ob notabilem materiae mutationem, vel etiam ob cessationem motivi seu causae finalis, v. g. si iuramento promisisti eleemosynam Petro ceu pauperi, et hic locuples fit. — Cessat ab extrinseco, irritatione vel commutatione vel dispensatione: ad quae intelligenda, recolantur illa, quae paulo ante de voto (1) diximus, ac iuramento rite applicentur. Hoc addi debet, iuramenti promissorii obligationem cessare etiam posse relaxatione seu condonatione obligationis facta ab eo, cuius in favorem promissio data est ac iuramento firmata.

---

enim nobis videtur, in tali hypothesi non haberetur solidum verumque iuramentum, sed mera prolatio exterior verborum iuramenti seu formulae iuratoriae. Unde obligatio, quae eo in casu oriretur, non proprie vi iuramenti, quod reapse non adest, sed aliunde proveniret. Cf. tamen Suarez, de iuram. l. II. c. 7.

(1) Cf. num. 33. pag. 140. — Etsi votum et iuramentum differant (vide adnotat. 2ᵐ. pag. 154.), in multis tamen conveniunt. Quandoque etiam promissio Deo facta firmatur iuramento, et tunc *votum iuratum* habetur. — De iuramento, aeque ac de voto, aliquot alias quaestiones solvemus in tractatu de contractibus.

Sed iam, aliis omissis vel dilatis quaestionibus, ab officiis, quae hypothetica sunt *ex parte hominis*, ad ea progrediamur, quae hypothetica sunt *ex parte Dei*, seu quae divinae factum revelationis supponunt.

§ III. De iis hypotheticis erga Deum officiis, quae divinae factum revelationis praesupponunt.

α) De possibilitate divinae revelationis.

37. Hac in re tres sunt praecipui errores tribus distinctis thesibus refellendi. — 1.ˢ est error eorum, qui quamcumque Dei revelationem reiiciunt tamquam impossibilem: contra hos statuemus, revelationem divinam, eam saltem quae immediata sit, nullo pacto repugnare. — 2.ˢ est error eorum, qui contendunt revelationem quidem immediatam esse possibilem, minime vero mediatam: ostendemus autem, hanc quoque non involvere repugnantiam ullam. — 3.ˢ est error eorum, qui admittunt quidem possibilitatem revelationis tum immediatae tum etiam mediatae, sed negant revelationem posse suo ambitu continere mysteria: hos refutabimus, demonstrando, nihil impedire quominus revelatio etiam circa mysteria versetur.

Thesis XII.

Hoc est in primis manifestum, revelationem divinam supernaturalem, eam saltem quae immediata sit, esse possibilem.

38. Praenotiones. Priusquam thesim hanc demonstremus, quatuor haec breviter declarabimus, videlicet — 1°.) quid in genere sit *revelatio* — 2°.) quid sit revelatio

divina — 3°.) quid sit revelatio divina *supernaturalis* — 4°.) quid revelatio supernaturalis *immediata*.

1.°) Revelare, iuxta vocis etymon, est removere velum, quo res aliqua occultabatur, sicque reddere rem illam ex occulta manifestam (1). — Hinc autem clare patet, quidnam in tota hac tertia paragrapho veniat nomine *revelationis*. Hoc scilicet nomine venit, *manifestatio alicui facta veritatis ei aliquo modo occultae*.

2°.) Haec porro manifestatio, quemadmodum saepe fit *ab homine*, ita concipi potest, quod *ab ipso Deo* fiat. — Hinc autem liquet revelationis divisio in *humanam* et *divinam*, prout veri manifestatio ab homine fit, vel ab ipso Deo. Quare revelatio *divina* nihil est aliud, quam *manifestatio veritatis ab ipso Deo menti humanae facta*.

3°.) Deus proculdubio veritates intellectui humano manifestat *per opera naturae*, in quibus scilicet tamquam in speculis infinitas suas perfectiones inspiciendas ei exhibet. Verum alius concipi potest, isque multo praestantior, modus, quo Deus menti humanae veritates patefaciat, nempe *per formalem locutionem*. — Hinc autem liquet revelationis divinae partitio in *naturalem* (2) et *supernaturalem*, prout veri manifestatio a Deo fit per opera

(1) Cf. Suarez, de fide tr. 1. disp. III. sect. 3. num. 7.

(2) Rationalistae crebro quidem loquuntur de divina revelatione, sed non aliam intelligunt nisi *naturalem*, quam unice admittunt, supernaturali revelatione reiecta. — Nos contra, praeter revelationem naturalem, admittimus quoque supernaturalem, quae *proprie* est revelatio, quaeque semper intelligitur, quoties *sine addito* revelatio nominatur. Imo, cum supernaturalis haec revelatio possit, ut videbimus, pro obiecto habere tum veritates, quae « humanae menti per se imperviae non sunt, » tum *mysteria* seu veritates, quae « humanae mentis intelligentiam omnino superant ; » harum posteriorum veritatum manifestationi convenit ac tribuitur, *sensu magis stricto*, nomen revelationis. Cf. Liberatore, Ius. nat. num. 38 et 44.

naturae, vel per aliud illud, de quo diximus, medium naturae indebitum. Quare revelatio divina *supernaturalis* est *manifestatio veritatis a Deo menti humanae facta per formalem locutionem.*

4°.) Locutio formalis nihil aliud est, quam communicatio alteri facta conceptus propriae mentis (1). Iamvero duplex cogitari potest Dei ad homines locutio, nimirum vel *imm.diata,* si Deus per seipsum mentem suam aliquibus aperiat, vel *mediata,* si hoc idem praestet per ministros seu legatos, quibus antea mentem suam patefecerit et aliis transmittendam commiserit. — Hinc autem liquet partitio revelationis supernaturalis in *immediatam* et *mediatam*, prout locutio Dei immediata est vel secus. Quare revelatio supernaturalis *immediata* sic potest definiri: *manifestatio veritatis a Deo menti humanae facta per formalem eamque immediatam Ipsius locutionem.*

Hac in paragrapho tertia agemus de *divina* ac *supernaturali* revelatione, quam rationalistae reiiciunt, et primo loco eius *possibilitatem* demonstrabimus. Ut autem dilucide procedamus, hoc in primis, ut iam diximus, ostendemus, revelationem, eam saltem quae sit *immediata,* esse possibilem.

39. Demonstratio. Possibilis est divina revelatio immediata, si neque repugnat ex parte *Dei revelantis*, neque ex parte *hominis accipientis revelationem*, neque ex parte *veritatis revelandae.* Atqui ita res se habet. Ergo divina revelatio immediata est possibilis.

Maior patet: in revelatione enim immediata concurrunt, Deus qui revelat, homo cui fit revelatio, veritas quae revelatur. — *Minor* autem sic potest declarari per partes.

---

(1) Cf. s. Thomas, 1. p. q. 107. a. 1. coll. cum q. 13. a. 1. Item cf. de Lugo, de fide d. 1. sect. 10. num. 197.

1°.) Non repugnat ex parte Dei revelantis. — Etenim repugnaret, vel quia Deus *physice* non potest revelare seu loqui creaturae suae, vel quia id non potest *moraliter*, i. e. salva sua sapientia, bonitate ceterisque suis attributis, seu quin neget semetipsum. Atqui neutrum dici potest.

Non primum. Nam Deus est, qui hominem instruxit facultate propriam aliis mentem voluntatemque communicandi sermone, nutibus, aliisque externis signis: quin imo Deus ipsis etiam brutis modum dedit proprias passiones exterius exhibendi. Ergo a fortiori potest Ipse loqui seu mentem voluntatemque suam, modis quidem multo melioribus, homini patefacere (1). — Non secundum. Etenim haec Dei ad hominem locutio non est nisi actus specialissimae curae ac providentiae erga creaturam rationalem. Atqui actus specialissimae erga creaturam rationalem curae ac providentiae non modo non opponitur divinis attributis, sed e contrario ea magis ostendit, praecipue vero divinam sapientiam ac bonitatem illustrat.

2°.) Non repugnat ex parte hominis accipientis revelationem. — Repugnaret enim, quatenus contra naturam hominis esset pervenire ad veritatis cognitionem per alterius ac nominatim ipsius Dei institutionem et magisterium. Atqui dici id nequit.

Nam constat hominem ita esse natura sua comparatum, ut ad cognitionem veritatis pervenire possit non solum per propriam industriam seu investigationem, sed etiam per eruditionem seu doctrinam alterius, immo per

(1) In ps. XCIII. 9. legimus: « Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? » Subiungere similiter possumus: qui linguam dedit, non loquitur? — Porro iam diximus, quid sit *loqui?* Ut ait s. Thomas, 1. p. q. 107. a. 1.: « nihil aliud est loqui ad alterum, quam *conceptum mentis alteri manifestare.* »

hanc multo facilius multoque melius quam per illam. — Quod autem magister et doctor non sit alter homo, sed ipse Deus, hoc est quidem *praeter* vel *supra* naturam hominis, i. e. aliquid ei indebitum seu naturalem eius exigentiam excedens, non tamen est *contra* naturam hominis.

3°.) Non repugnat ex parte rei revelandae. — Cur enim repugnaret? Quia, aiunt, nullae dantur veritates hominibus *occultae*, quae divinae obiectum revelationis esse possint. Atqui (hoc etiam admisso, quod pro revelatione requiratur, veritatem esse occultam) dantur veritates hominibus occultae, circa Deum, animam, religionem, aliasque res maxime scitu necessarias.

Et sane multae sunt veritates, e. g. de Deo, quae a nemine possunt naturali tantum rationis exercitio detegi: multae sunt veritates, quae etsi naturaliter inveniri possint, tamen de facto a nemine vel certe a valde paucis per seipsos deteguntur: multae sunt veritates, e. g. de anima, quarum homines generatim non aliam sibi cognitionem naturaliter acquirunt, nisi imperfectam, nimirum erroribus, dubiis, obscuritatibus implexam; ut patet in iis, qui vixerunt vel vivunt revelatione destituti. Atqui hae veritates, quamvis non eodem modo, tamen omnes possunt dici et sunt hominibus occultae. Haec, ad praesentem thesim quod attinet, innuisse sufficiat. Ecquis enim serio hoc dicet, omnia, quae existunt, vera ita esse humanae menti perspecta, ut nihil supersit, quod a Deo possit pandi aut saltem clarificari? Hoc affirmare foret idem ac asserere, intellectum humanum esse omniscientem, seu in sua entitate infinite perfectum, cum e contrario constet, eum esse valde limitatum, magnisque tenebris obvolutum (1). — Ad rem Aristo-

---

(1) Pulchre Lactantius, div. institut. l. 3. c. 6.: « Neque te omnia scire putes, quod est Dei; neque omnia nescire, quod est pe-

teles (1): Quum difficultas duobus sit modis (ex defectu cognoscibilitatis in rebus vel ex defectu virtutis cognoscitivae in nostro intellectu), fortassis causa eius non rebus sed nobis ipsis inest (2). Quemadmodum enim oculi vespertilionum ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea, quae naturaliter manifestissima omnium sunt. Ἴσως δὲ καὶ τῆς χαλεπότητος οὔσης κατὰ δύο τρόπους, οὐκ ἐν τοῖς πράγμασιν ἀλλ' ἐν ἡμῖν τὸ αἴτιόν ἐστιν αὐτῆς. Ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. Ad rem etiam Seneca (3): « Pleraque ante oculos posita transimus: saepe animus etiam aperta dissimulat. Ingerenda est illi notitia rerum notissimarum. » Iamvero non repugnat, sed e contrario maxime convenit, ut Deus ipse hanc ei notitiam ingerat per revelationem.

40. Scholion. Contra hanc thesim haec potissimum obiici solent a rationalistis, qui, ut diximus, revelationem omnem *supernaturalem* reiiciunt, tamquam impossibilem, solamque admittunt revelationem *naturalem*.

---

cudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis, idest scientia cum ignoratione coniuncta et temperata. » — Itaque in utroque est error, tum si affirmes omnia vera esse tibi nota, tum si asseras omnia esse tibi occulta. Recte autem dices, si fatearis, multa vera tibi esse nota, plura autem tibi esse occulta, vel ex toto, vel quatenus clarius adhuc possent cognosci firmiusque teneri.

(1) Metaph. l. 1. cap. 1. num. 2.

(2) I. e. *velum* impediens, ne veritatem intueamur, saepe est impositum non iam ipsi veritati, quae de se est perspicua, sed nostrae mentis oculis. Hoc porro velum quandoque tenue est, quandoque vero adeo densum, ut nihil vel valde parum de veritate introspiciamus.

(3) Epist. 94.

Non possumus intelligere modum, quo Deus homini loqui seu veritatem manifestare queat. Ergo revelatio est ex parte Dei impossibilis. — Respondeo *primo:* hoc enthymema, *Nequeo intelligere modum, quo haec res fieri possit, Ergo res haec est impossibilis,* admitti nullo pacto potest. Secus enim innumerae res, quae, omnibus unanimiter consentientibus, sunt possibiles, imo reapse existentes, reiiciendae forent inter res impossibiles (1). — Respondeo *secundo* sic distinguendo: non possumus enumerare plures modos, quibus Deus uti potest ad veritates revelandas *nego,* non possumus assignare definitive et a priori, quinam in particulari sit modus ille, quo reapse Deus utetur, si velit aliquid revelare *conc.* De variis autem modis, quibus uti potest Deus ad veritates revelandas, haec accipe ex s. Thoma (2). « Revelatio fit quodam interiori et intelligibili lumine mentem elevante.... Cum praedicto autem lumine mentem interius illustrante adsunt aliquando in divina revelatione aliqua exteriora vel interiora cognitionis auxilia, utpote aliquis sermo exterius sensibiliter auditus, qui divina virtute formetur, aut per imaginationem interius, Deo faciente, perceptus, sive etiam aliqua corporaliter visa exterius a Deo formata, vel etiam interius in imaginatione descripta, ex quibus homo per lumen interius menti impressum cognitionem accipit divinorum; unde huiusmodi auxilia sine interiori lumine ad cognitionem divinorum non sufficiunt: lumen autem interius sufficit sine istis. » Hisce verbis exhibetur revelationis immediatae distinctio, ex parte modi quo fit, in *mere internam* et *externam,* vel in

---

(1) Cf. ea quae diximus vol. 1. thes. IX. pag. 81., ubi pulchra hac de re Ciceronis et s. Augustini testimonia adduximus.

(2) Cont. gent. l. III. c. 154. ab init. Cf. etiam 2. 2. q. 172. a. 2.

sensitivam, imaginariam et *intellectualem.* Id scilicet, quo Deus homini mentem suam manifestat, potest esse vel signum aliquod externo sensu perceptibile, vel forma imaginaria impressa phantasiae, vel species intelligibilis menti impressa (1).

Instant. Esto, non deesse Deo modum loquendi homini. Sed hoc non sufficit. Aliud etiam requiritur: non debet ei deesse modus demonstrandi se vere esse, qui loquitur. — Respondeo *primo:* neutrum Deo deesse, *a priori* certo constat. Si enim homo utrumque potest, et loqui alteri, et suo vocis modo aliisque signis prodere, se vere esse qui loquitur, non alium; nemo sanus affirmabit, Deum posse quidem loqui homini, sed non posse homini demonstrare locutionem non esse alterius, sed suam. — Respondeo *secundo:* Deus potest locutionem suam munire talibus argumentis vel signis, sive internis sive externis, e. g. prophetiis et miraculis, quae probent luculenter, Ipsum esse, et non alium, qui creaturam alloquitur suam.

Stat igitur possibilitas revelationis divinae immediatae. — Unum hoc loco innuam, quod facile ex dictis intelligitur, i. e. quid sit revelatio *subiective* inspecta, quid eadem sit *obiective* considerata. Sumpta subiective seu *pro ipso actu revelandi,* est manifestatio veritatis homini a Deo facta: sumpta obiective, seu *pro re revelata*, est ipsa veritas vel veritatum complexus a Deo homini manifestatus.

---

(1) Deus per visionem *sensibilem* locutus fertur Abrahamo, Moysi (in rubo et nube), itemque Iosue (Gen. XII. XV. XVII., Exod. III., Ios. 1.). — Per repraesentationem *imaginariam* passim fertur locutus Prophetis V. T. — Per *intellectualem* inspirationem, seu species intelligibiles menti divinitus impressas, locutus fertur Elisaeo (IV. Reg. III.) aliisque etiam Prophetis. — Haec omnia tantummodo innuimus: pertinent enim potius ad Theologiam.

Thesis XIII.

Revelatio divina, non solum immediata, sed etiam mediata, est omnino possibilis.

41. Praenotiones. De divisione revelationis divinae in immediatam et mediatam diximus iam in praenotionibus thesis praecedentis. Sed ut clarius adhuc appareat, quid sit revelatio mediata, iuvat pauca quaedam addere.

Duplex sane cogitari potest revelatio divina, videlicet *privata* altera, altera *publica* seu, ut dici etiam solet, catholica. — Privata est illa, quae fit certis quibusdam hominibus ad ipsorum propriam seu privatam directionem atque utilitatem. Publica vero est illa, quae ita fit aliquibus hominibus, ut ex mente Dei ordinetur et per eos transmittenda sit ceteris omnibus seu universae societati religiosae. Prior revelatio est communius solummodo immediata. Altera autem revelatio non est tantummodo immediata, sed etiam, immo maxime, mediata.

Iamvero de hac altera revelatione quaeritur, utrum ea sit possibilis: utrum hoc fieri possit, ut Deus per aliquem vel per aliquos, quibus immediate locutus sit, tamquam per suos legatos loquatur aliis, ita ut omnibus quidem mentem suam aperiat, omnes quidem doceat seu dirigat, tamen non omnes et singulos immediate. Est autem ratio, cur accurate hanc pertractemus quaestionem. Sunt enim, qui hoc affirment: nisi Deus dicatur singulos docere, universos homines instruere numquam potest. Hi proinde statuunt, nihil admitti debere, nisi illud, quod Deus singulis immediate proponat interiusque revelet: qui

error est, ut s. Augustinus (1) recte ait, superbissimus et multis periculis expositus.

42. Demonstratio. 1. Revelatio mediata in eo tandem differt ab immediata, quod in hac non intercedit, in illa vero intercedit homo doctrinam a Deo acceptam proponens (non tamen *quomodocumque,* sed *nomine Dei* et *authentice*) ceteris hominibus. Quare si revelatio quidem immediata, uti iam probavimus, possibilis est, mediata vero repugnat, haec repugnantia nonnisi ex eo capite oritur. Ostendant igitur adversarii, quaenam exinde proveniat vel in eo sit repugnantia.

Duplex scilicet, ita respondent adversarii, inde enascitur ibique est repugnantia — altera ex parte eorum, qui per hominem accipiunt revelationem — altera ex parte illius, qui ceteris eam transmittit. Videlicet 1°.) ex parte accipientium habemus *fidem homini*, non *Deo:* 2°.) ex parte transmittentis habemus *locutionem* seu *doctrinam hominis*, non *Dei.* Est autem de conceptu revelationis *divinae*, quod ex parte accipientis sit fides Deo et ex parte tradentis sit locutio Dei. Haec duo habemus in revelatione immediata, non autem in revelatione mediata. Quare illa quidem est, haec vero non est revelatio divina.

Ad 1m.) sic respondeo cum s. Thoma (2): « Fidelis credit homini, *non inquantum homo*, sed *inquantum Deus in eo loquitur,* quod ex certis experimentis colligere potest: infidelis autem non credit Deo in homine loquenti. » Ad rem omnino facit locus ille s. Pauli Apostoli (3), in quo Thessalonicenses laudat, quod verbum ipsius audierunt, ut verbum, non hominis, sed Dei: « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non

(1) Lib. de doctr. christ. in princ.

(2) In 3 sent. dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 2. ad 2m.

(3) Ep. I. ad Thess. cap. II. v. 13.

ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.» — Itaque est quidem de conceptu revelationis, quod ex parte accipientis sit *fides Deo*, sed (si de revelatione divina *in genere* loquamur, non autem *in specie* de revelatione divina *immediata*) fides Deo *vel per seipsum loquenti, vel loquenti in homine et per hominem tamquam legatum suum.*

Ad 2[m].) eadem fere est responsio. Duplici hoc modo potest homo loqui aliis vel alios docere, i. e. vel simpliciter ut homo seu persona privata, nomine proprio, suosque communicando conceptus, vel tamquam legatus regis, ipsius nomine, eiusque transmittendo mentem et voluntatem. In primo casu, eius locutio ac doctrina est privata, in altero casu est *regia*, idque in duplici sensu: *primo* quidem in sensu *obiectivo*, quatenus id quod proponitur seu manifestatur, est ipsa mens ac voluntas regis: *secundo* autem in sensu etiam *activo* vel *subiectivo*, quatenus ille, qui loquitur aut docet, etsi non sit ipse rex, tamen est minister regis, et formaliter qua talis loquitur vel docet, regis scilicet nomine atque auctoritate. — Si igitur Deus sit rex ille, cuius nomine et auctoritate quis loquitur aut docet, huius locutio ac doctrina iure meritoque dicetur *divina*. Iamvero in revelatione mediata hoc contingit: qui enim ceteris veritatem pandunt, ii loquuntur et docent, non ut meri homines, sed tamquam nuntii et legati ipsius Dei, non sua proponentes, sed illa quae a Deo acceperunt transmittenda: eos autem Deus authenticis instruit indubiisque signis, quibus acceptam a se missionem probent. Quare eorum locutio ac doctrina in duplici illo, quem exposuimus, sensu dicitur et vere est divina.

II. Quae omnia hoc confirmantur argumento. Quod facere potest rex terrenus, quodque nec moraliter inordinatum est nec ullam includit contradictionem, id multo

magis multoque melius facere potest rex caelestis Deus. Atqui absque ulla morali inordinatione et absque repugnantia ulla potest rex terrenus non solummodo immediate et per seipsum, sed etiam mediate et per alium aperire subditis mentem voluntatemque suam: — potest sane suam mentem ac voluntatem perspicue patefacere uni ex suis subditis: — potest hunc constituere suum legatum, qui id, quod a rege immediate accepit, communicare fideliter debeat ceteris subditis: — potest huius missionis authentica ei praebere signa seu argumenta, quae indubitanter ostendant, eum esse vere legatum regis, et fidem etiam indubiam faciant, eum vere nuntiare illa, quae ei rex transmittenda commisit. Ergo haec omnia multo magis multoque melius rex supremus Deus potest facere.

43. Scholion. Quamvis, sic etiam argui solet, quamvis revelatio mediata non repugnet; tamen negari non potest, *revelationi mediatae non deberi assensum tam firmum, quam immediatae.*

Etenim « si aliquid, hisce verbis hanc difficultatem sibi obiicit Suarez (1), nobis proponatur, ut credendum ex testimonio hominis fide dignissimi, et non ab illo verbum eius audiamus, sed per alium minoris auctoritatis proponatur, hoc ipso infirmatur fides humana in suo ordine, et res minus certa efficitur: et tanto magis crescit haec incertitudo, quanto plura media seu plures proponentes intercedunt; quod totum evidenti experimento notum est. Ergo idem erit, proportione servata, in fide divina et obiecto eius; nam intercedit eadem ratio, videlicet quod certitudo assensus etiam pendeat a proponente, et ideo nisi ille sit aequalis auctoritatis, claudicat, ut sic

(1) De fide, disp. IV. sect. 2. num. 1.

dicam, assensus et certitudo. » — Ad hanc solvendam difficultatem quatuor haec animadverto.

α) Perperam atque inepte a nonnullis haec obiicitur difficultas ad demonstrandum, revelationem mediatam repugnare. Ea enim, ut manifeste patet, id non probat: aliud omnino est, quod efficit, si quid probat, nempe, ut iam dictum est, revelationi mediatae assensum non deberi adeo firmum, ut immediatae. Sed ne hoc quidem demonstrat.

β) Negatur enim paritas inter revelationem mediatam, cuius auctor est *homo*, et illam, cuius auctor est *Deus*. Nam qui defectus in revelatione mediata *humana* solent ex parte plurium, qui interveniunt, proponentium adesse, ii omnes possunt in revelatione mediata *divina* ab omnipotentia Dei e medio tolli seu impediri.

γ) Insuper distingui accurate debent haec duo, *ipse fidei assensus* atque *praevia huic assensui indicia credibilitatis*. Assensus fidei innititur auctoritate revelantis: praevia illa iudicia credibilitatis innituntur iis omnibus argumentis seu rationibus, quae ostendunt Deum reapse locutum esse. Iamvero firmitas assensus fidei non mensuratur ex illorum, quae praevertunt, iudiciorum certitudine: dummodo enim haec certitudo adsit, sive maior sit evidentia sive sit minor, debebit semper a voluntate imperari assensus firmitatis eiusdem. Cuius rei haec est ratio, quia praevia illa iudicia se habent tamquam conditiones, ut fides possit a voluntate prudenter et rationabiliter imperari.

δ) Tandem haec cum eodem eximio doctore adverto: « eamdem fere difficultatem esse in propositione fidei etiamsi a Deo *immediate* fiat. Nam qui illam recipit, non videt evidenter Deum esse, qui loquitur, quando revelatio est obscura, prout ad fidem necessaria est. Eadem ergo difficultas relinquitur, quomodo talis propositio possit sufficere ad certitudinem infallibilem fidei. Responsio ergo

generalis est sufficere evidentiam credibilitatis; quae tam in propositione externa, quam in mere interna inveniri potest. »

Thesis XIV.

Possibilis est revelatio illarum etiam veritatum, quae captum humanae mentis excedunt, seu possibilis est revelatio etiam mysteriorum.

44. Praenotiones. Alios nunc impugnamus adversarios, eos nempe, qui admittunt quidem Deum posse vel per seipsum immediate vel mediate per alios loqui nobis seu veritatem revelare, sed negant eum posse revelare veritates illas, quae dicuntur *mysteria.* Ut hunc errorem, qui etiam est, ut rursus s. Augustini verbis utamur, superbus valde multisque periculis expositus, refellamus, debemus ante omnia notionem *mysterii* tradere.

Duplex distinguitur classis veritatum, aliarum quae non superant, aliarum quae superant humanae mentis captum.

Ad priorem classem eae pertinent veritates, sive theoreticae sive practicae, quae dicuntur et sunt *rationales,* eae nempe, quas mens nostra naturalibus suis viribus potest et detegere et intelligere *(intus legere)*, seu quarum potest et existentiam certo invenire et rationem intrinsecam conceptibus propriis percipere. Sic e. g. rationalis est haec veritas practica, *parentes sunt honorandi*: nostra enim mens naturaliter potest tum reperire officii illius existentiam, tum intrinsecam eiusdem rationem assignare. Huiusmodi veritates non dicuntur mysteria.

Ad alteram classem eae pertinent veritates, quae sunt *praeterrationales,* eaeque potissimum, quae sunt *su-*

perrationales. — Veritates praeterrationales dicuntur illae, quas etsi humana mens per seipsam nequeat invenire *(an reapse sint)*, tamen, si revelentur, potest *propriis* conceptibus haud secus ac alias veritates percipere. Eae enim sunt aliis, quas cognoscimus, veritatibus similes: et proinde nos possumus propriis conceptibus, earum naturae plene respondentibus, eas nobis repraesentare. Tales veritates e. g. sunt actus liberi futuri, et actus remoti aut praeteriti, quorum testificatio aut monumenta nobis desint: item plura, quae in astris contingunt, quibus sensus nostros vel immediate vel mediate applicare non possumus. — Veritates autem superrationales sunt illae, quas ratio sola nec potest detegere (*an sint*), neque etiam, si revelentur, ex naturalibus principiis demonstrare potest aut ideis *propriis* concipere. Cum enim veritates hae ab iis, quas cognoscimus, veritatibus differant specie et genere, ac solummodo cum iis conveniant analogice, hinc fit, ut non propriis, sed analogicis dumtaxat conceptibus eas apprehendere aliqualiter valeamus. Tales sunt hae veritates, in una divina natura tres esse distinctas personas, in Christo duas esse naturas subsistentes in una divina persona.

Ut patet, veritates superrationales multo magis quam praeterrationales, excedunt humanae mentis vim et captum: hunc scilicet superant *absolute* et *per se*, dum illae aliae eumdem superant potius *secundum quid* et *per accidens*. Quare veritates praeterrationales non dicuntur mysteria nisi sensu *minus proprio*: sed sensu *proprio* ac *presso* mysteria (1) vocantur et sunt veritates superrationales.

---

(1) Hoc vocabulum *μυστήριον* derivare videtur a *μύω* claudo, vel, ut alii censent, a *μύεω*, doctrina instituo, praesertimque ea, quae ad res sacras seu divinas pertinet. Vide thesaurum Graecae ling. ab Henr. Stephano constructum, in h. v.

45. Demonstratio. De veritatibus *rationalibus* non fit quaestio, utrum divinae obiectum revelationis esse queant. Manifeste enim divina revelatio potest circa has veritates (ac praesertim circa illas, quae Deum, animam, legem religionemque naturalem pro obiecto habent) versari, idque duplici illa de causa, quam paulo superius innuebamus, nimirum: — α) Veritates rationales posse naturaliter detegi, significat, non iam quod omnes homines *de facto* per seipsos removeant velum, sed tantummodo quod humana ratio *potest* per seipsam removere velum, quo eae teguntur. Potest ergo contingere, immo hoc sane contingit, ut respectu hominum saltem multorum veritates rationales, illae etiam quae maxime sunt scitu necessariae et ad ipsam naturalem religionem pertinent, maneant velo obscuritatis aut dubii aut ignorantiae aut erroris obtectae. En igitur locus quoad has ipsas veritates remotioni veli, seu revelationi, eidemque divinae, ut scilicet eae veritates nemini maneant occultae, sed ab omnibus hominibus facile, cito, sine dubii errorumve admixtione, ac firmiter, ob auctoritatem Dei revelantis, teneantur (1). Quae omnia paulo inferius magis adhuc evolvemus. — β) Revelatio quamvis *proprie* ac *stricte* loquendo sit, ut ab initio quaestionis huius diximus, manifestatio veritatis *occultae*, tamen sensu *latiori*, prout hic sumitur, est manifestatio veritatis cuiuscumque, sive sit aliunde ignota, sive non sit. Sed cur, quaeres, cum veritas panditur, si iam est nota, si iam tenetur? Respondeo: quod aliqua veritas sit *nota* ex evidentia intrinseca, qua lucet, hoc non impedit, quominus possit fieri *notior* ex evidentia extrinseca, quae ex divina locutione accedit:

(1) Cf. vol. 1. thes. XLVII. pag. 373. Ostendimus ibi possibilitatem, quod Deus legem naturalem per signa etiam externa notificet.

item, quod aliqua veritas *firmiter* teneatur ex uno motivo, e. g. legitimae illationis ex praemissis veris ac certis, hoc non impedit, quominus possit *firmius* teneri ex alio hoc tam valido omnibusque pervio motivo auctoritatis Dei loquentis. Sed quomodo, quaeres adhuc, quomodo huiusmodi revelatio dici potest *supernaturalis?* Dicitur supernaturalis, non *quoad substantiam* vel *obiectum*, quod humanae menti manifestatur, sed *quoad medium* vel *modum* naturae indebitum, quo veritas naturalis seu rationalis fit menti nostrae manifesta. — Sed de his hactenus. Ad thesim demonstrandam veniamus, seu ad possibilitatem revelationis *mysteriorum* ostendendam: spectabimus autem praecipue mysteria *proprie dicta* seu veritates *superrationales,* de quibus scilicet maior est difficultas.

En argumentum, quo thesim hanc demonstramus. — Revelatio potest intra suum ambitum comprehendere etiam mysteria, si 1°.) mysteria dantur, si 2°.) nos possumus mysteria, quando nobis a Deo proponantur ad credendum, aliqua ratione percipere. Atqui neutrum potest negari. Ergo revelatio etiam mysteriorum est possibilis.

Maior patet. Nam Deo, ut probavimus, non deest modus loquendi creaturae suae: ergo si dantur veritates praeterrationales atque etiam superrationales, et si nos possumus has veritates, posito quod a Deo revelentur, aliquo modo conceptibus saltem analogicis percipere, iam proculdubio nulla est in revelatione mysteriorum repugnantia. Haec enim repugnantia si foret, esset vel *ex parte Dei*, vel *ex parte mysteriorum,* vel *ex parte nostra:* ex parte Dei, quatenus loqui non posset, ex parte mysteriorum, quatenus non darentur, ex parte nostra, quatenus nil prorsus de mysteriis post divinam etiam revelationem capere possemus. — *Minor* sic probatur per partes.

1°.) Dantur mysteria. — « Quod sint, ait s. Tho-

mas (1), aliqua intelligibilium divinorum, quae humanae rationis penitus excedant ingenium, evidentissime apparet. » Id autem tribus demonstrat praeclaris rationibus.

Probat *primo* ex modo quo in cognitionem divinorum pervenimus. — « Quum principium totius scientiae, quam de aliqua re ratio percipit, sit intellectus substantiae ipsius, eo quod, secundum doctrinam Philosophi (2), demonstrationis principium est *quod quid est*, oportet quod secundum modum, quo substantia rei intelligitur, sit eorum modus, quae de re illa cognoscuntur. Unde, si intellectus humanus alicuius rei substantiam comprehendit, puta lapidis vel trianguli, nullum intelligibilium illius rei facultatem humanae rationis excedet. Quod quidem nobis circa Deum non accidit. Nam, ad substantiam ipsius capiendam, intellectus humanus non potest naturali virtute pertingere, quum intellectus nostri, secundum modum praesentis vitae, cognitio a sensu incipiat. Et ideo ea, quae in sensu non cadunt, non possunt humano intellectu capi, nisi quatenus ex sensibus eorum cognitio colligitur. Sensibilia autem ad hoc ducere intellectum nostrum non possunt, ut in eis divina substantia videatur *quid sit*, quum sint effectus causae virtutem non aequantes. Ducitur tamen ex sensibilibus intellectus noster in divinam cognitionem, ut cognoscat de Deo *quia est*, et alia huiusmodi, quae oportet attribui primo principio. Sunt igitur quaedam intelligibilium divinorum, quae humanae rationi sunt pervia, quaedam vero, quae omnino vim humanae rationis excedunt. »

Probat *secundo* ex intellectuum gradibus. — « Duorum, quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille, cuius intellectus est elevatior, multa intelligit,

---

(1) Contr. gent. l. 1. c. 3.

(2) Anal. post., II., text. comm. 2.

quae alius omnino capere non potest; sicut patet in rustico, qui nullo modo philosophiae subtiles considerationes capere potest. Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae; quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit. Cognoscit quidem angelus Deum ex nobiliori effectu quam homo, quanto ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur naturali cognitione, est dignior rebus sensibilibus et etiam ipsa anima, per quam intellectus humanus in Dei cognitionem ascendit. Multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum. Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adaequat, et ideo perfecte de se intelligit quid est, et omnia cognoscit, quae de seipso intelligibilia sunt; non autem naturali cognitione angelus de Deo cognoscit quid est, quia et ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur, est effectus causae virtutem non adaequans. Unde non omnia, quae in seipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest; nec ad omnia, quae angelus naturali virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret, propter hoc quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur, ex hoc quod ratione investigari non possunt. »

Probat *tertio* ex defectu, quem in rebus cognoscendis quotidie experimur. — « Rerum sensibilium plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus. Multo igitur amplius illius excellentissimae

substantiae, transcendentis, omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit (1). »

Quibus omnibus haec addo ex Liberatore (2): « Intelligentiae nostrae lumen finitum esse et certis limitibus circumscriptum, nemo nisi insanus negabit. Quid autem sibi vult, intelligentiam aliquam limitibus circumscribi, nisi ab illa non omnem veritatem attingi posse, sed plura esse, immo etiam innumera, quae eius aciem exsuperant? Secus, si ad omne verum se porrigeret, terminis in cognoscendo careret. Si igitur humana ratio terminis cohibetur, angustiore gyro comprehendatur oportet, quam sit infinita amplitudo veri obiective spectati. Quare omnino desipiunt rationalistae et contradictoria simul iungunt, dum mentem nostram finitam esse concedunt, et simul veritates denegant, quae eius aciem praeterlabantur. Quam contradictionem non aliter effugere possunt, nisi dicendo aut *mentem* nostram esse infinitam, aut *verum* esse finitum. Sed primum includit pantheismum, quia rationem

(1) Tum vero haec subdit: « Huic etiam veritati sacra Scriptura testimonium perhibet. Dicitur enim: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies?* (Iob. XII. 7.). Et: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram* (Iob. XXXVI. 26.). Et: *Ex parte cognoscimus* (I. Cor. XIII. 9.). Non igitur omne, quod de Deo dicitur, quamvis ratione investigari non possit, statim quasi falsum est abiiciendum, ut Manichaei et plures infidelium putaverunt (S. Aug., Retr. I. 14.). » — Cf. etiam contr. gent. IV. 1.: « Si ipsae *viae* (quibus ad notitiam Dei pervenitur) imperfecte cognoscuntur a nobis, quomodo per eas ad perfecte cognoscendum *ipsarum viarum principium* poterimus pervenire, quod sine proportione excedit vias praedictas? Etiamsi *vias* ipsas cognosceremus perfecte, nondum tamen perfecta *principii* cognitio nobis adesset. »

(2) Ius nat. part. 1. num. 39. Ubi recte haec etiam addit: « Multa sunt, quae ex *libera* Dei voluntate unice pendent. Si igitur haec sint talia, ut sensibus non pateant, aut tempus futurum vel praecedens respiciant, non aliter sciri possunt, nisi ex manifestatione divina. »

nostram cum divina confundit; secundum includit atheismum, quia limitibus affici nequit veritas, quin eius fons et principium, nempe Deus, pariter afficiatur. Deus autem limitibus affectus non est Deus »

Hisce aliisque, quae addi possent, rationibus ostenditur existentia mysteriorum. — Sed, dices, si mysteriorum existentia naturaliter demonstratur, iam nulla sunt mysteria. Responsio patet: allatae rationes non iam determinant *in specie*, quae qualiave sint mysteria, sed probant *in genere*, multa esse mysteria, seu dari veritates multas, quae captum humanae mentis absolute et per se superant. Quaestio prior est *specialis*, et solvitur revelatione ac fide: quaestio altera est *generalis*, et solvitur naturali etiam ratione. Iam itaque ad alteram *minoris* partem probandam veniamus.

2.°) Mysteria particularia, quae nobis Deus revelet atque ad credendum proponat, possumus aliqualiter intelligere. Videlicet, est omnino falsum, nos de mysteriis, etiam post eorum revelationem, nihil aliud capere posse, nisi vanum et inanem sonum verborum : non plus intelligere, quam si aliquem ignota lingua loquentem audiamus. — Duo haec sane percipimus.

Primo apprehendimus id, quod determinate credendum est (1). Etenim iudicii illius, quo mysterium enuntiatur, terminos, *praedicatum* scilicet et *subiectum*, assequimur conceptibus saltem *analogicis*. E. g. quando divi-

(1) Hoc apprehendere est sane necessarium. « Oportet, ita Suarez, de fide disp. III. sect. 1. num. 2., prius percipere id quod proponitur ad credendum, et intelligere saltem conceptu apprehensivo, quid sit id quod asseritur seu proponitur. » In eodem sensu dixit s. Thomas, 2. 2. q. 8. a. 8. ad 2.m: « Fides non potest universaliter praecedere intellectum : non enim posset homo assentire credendo aliquibus propositis, nisi ea aliqualiter intelligeret. »

nitus docemur de hac superrationali veritate, *Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus natura Deus et personae tres inter se distinctae,* percipimus id, quod credere debemus. Notiones enim saltem confusas *naturae* ac *personae, identitatis* et *distinctionis* habemus (1): habemus, inquam, quia iis vocabulis utimur passim (2). — *Secundo,* ex infallibili Dei revelantis testimonio certi reddimur de *existentia* nexus praedicatum inter et subiectum, e. g. ita vere in divinis rem esse, unitatem naturae consociari cum trinitate personarum.

In quo igitur mens nostra deficit, etiam post factam a Deo mysterii revelationem? Deficit in duobus. — *Primo* non habemus ideas *proprias* subiecti vel praedicati vel utriusque. — *Secundo,* neque immediate nec mediate videmus praedicatum in subiecto, seu deest nobis *intrinseca* evidentia *modi,* quo iudicii termini inter se conveniunt seu mutuo cohaerent. Unde etiam post factam a Deo revelationem mysterium manet pro nobis veritas *occulta:* non enim nobis manifestatur *modus* intrinsecus, sed solummodo *existentia* nexus inter praedicatum et subiectum.

Sed, quaeres, cum mens nostra in his duobus deficiat, quomodo propositae veritati potest assensum praebere? — Ut mens assensum det alicui veritati, neque

---

(1) Huc faciunt ea, quae s. Augustinus habet, de Trinit. l. VIII. c. 8.: « Credimus Iesum Christum natum de Virgine, quae Maria vocabatur. Quid sit autem *Virgo*, quid sit *nasci*, quid sit *nomen proprium*, non credimus, sed novimus. »

(2) Rationalistae eo ipso quod impugnant hoc mysterium, declarant, se intelligere vocabula haec, *naturae* ac *personae, identitatis* et *distinctionis*, ideoque etiam apprehendere id, quod proponitur ad credendum. Secus enim qua de re loquuntur vel quam veritatem impugnant, quando argumenta contra praedictum dogma congerunt?

absolute requiritur, quod eam ideis propriis attingat (sufficit enim, si eam ideis saltem analogicis assequatur), neque absolute requiritur, quod intrinsecam habeat evidentiam de modo, quo praedicatum cum subiecto connectatur (sufficit enim, si ex evidentia saltem extrinseca deprehendat, eam connexionem reapse non deesse, etsi quomodo ea adsit non intelligat). — Quod *primum* illud non requiratur, patet. Secus enim nihil fere de Deo iudicare possemus, ne hoc quidem, Deum esse simplicissimum, liberrimum, omniscientem etc.: siquidem hae ipsae ideae simplicitatis, libertatis, scientiae etc., quae sunt propriae, quando perfectiones referunt creaturarum, fiunt analogicae, quando ad Creatoris perfectiones repraesentandas transferuntur (1). — Nec minus clare patet, non requiri *secundum*. Nonne rusticus, cui philosophus proponit theorema Pythagorae vel affirmat solem esse terra maiorem, haec ex illius philosophi auctoritate admittit, quamvis non intelligat *modum*, quo quadratum constructum super hypothenusam aequet summam quadratorum duorum cathetorum, quamvis solem videat terra minorem? Quod si rusticus magis fidit scientiae et veracitati philosophi alicuius, quam proprio visui; quid dicendum de nobis respectu Dei? Ad rem Toletus (2): « Si esset homo de-

(1) Discrimen inter iudicia de divinis proprietatibus, quae naturaliter sunt notae, atque iudicia de profundis illis et absconditis, quae fides nos docet et mysteria dicuntur, non est in hoc reponendum, quod in prioribus ideae habeantur propriae, in aliis analogae, sed in hoc, quod in prioribus motivum assensus est *etiam* evidentia per ratiocinium comparata de convenientia praedicati cum subiecto, in aliis est *sola* Dei revelantis auctoritas, quae fidem facit convenientiam illam de facto adesse.

(2) Enarr. in sum. th. s. Th., 2. 2. q. 4. a. 8. — Cf. etiam s. Augustinum de utilit. credendi, praesertim cap. XII. num. 26., quem

bilem habens visum et qui saepe fallitur, cui videretur aliquid esse animal, et diceretur ab aliquo habente visum perspicacissimum, et viro veridico, qui non est solitus mentiri, esse arborem; profecto iste potius deberet credere dicenti, quam sibi etiam videnti. Ita lumen nostrum debile est, et infinito excessu a divino superatum; firmiorem ergo assensum ex natura sua natum est producere, quam ratio quaecumque et lumen naturalia. »

46. Scholion. Haec thesis duplici potissimum modo a rationalistis impugnatur: *primo,* arguendo *ex parte mysterii*, seu ostendendo mysteria proprie dicta (de his enim praecipue est quaestio) non dari: *secundo,* arguendo *ex parte mentis nostrae*, seu demonstrando nos, etiam post eorum revelationem nobis a Deo factam, nihil prorsus de mysteriis capere posse. — Sed difficultatum huius alterius classis solutio ex iis, quae paulo ante in theseos demonstratione diximus, iam satis patet (1). Quare eas tantummodo perpendemus obiectiones, quae arguendo ex parte mysterii solent opponi.

I. Ea, quae dicuntur mysteria, sunt veritates. Atqui veritates possunt a nobis cognosci. Ergo ea, quae dicuntur mysteria, possunt a nobis cognosci: ac proinde perperam vocantur mysteria.

Dist mai. Ea, quae dicuntur mysteria, sunt veritates rationales *nego*, superrationales *conc.* — *Contradist. min.* Veritates rationales possunt a nobis cognosci *conc.*, veritates superrationales *subd.*, possunt a nobis cognosci, i. e. naturali nostrae rationis exercitio detegi *nego*, possunt a

---

numerum hisce verbis absolvit: « Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanae societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum. »

(1) Cf. Taparelli, *saggio teoret.* diss. 1. c. 9. n. 240.

nobis cognosci, i. e. per divinam revelationem accipi, eiusque ope attingi ideis analogicis *conc.*

Veritas quaecumque potest ab intellectu nostro cognosci *aliquo modo*, nempe — vel illam per se detegendo, vel illam ab alio accipiendo — vel per conceptus proprios et perfecte, vel per conceptus analogicos et imperfecte — vel virtute sua naturali, vel viribus gratuito superadditis. Quare discrimen inter veritates rationales et veritates superrationales non consistit in hoc, quod illae possint, hae non possint ab intellectu cognosci, sed situm est in *modo* quo cognosci possunt: scilicet veritates superrationales, secus ac rationales, non possunt a nostro intellectu naturaliter detegi, sed tantummodo accipi queunt per divinam revelationem, et si revelentur, non possunt ab intellectu naturaliter attingi, nisi ideis analogicis.

II. Ens omne est ab humano intellectu cognoscibile. Sed quaevis veritas, etiam superrationalis, est ens. Ergo quaevis veritas, etiam superrationalis, est ab humano intellectu cognoscibilis, ac proinde non est mysterium.

Dist. mai. Ens omne est ab humano intellectu cognoscibile, tamen iuxta modum et gradum naturalem intellectionis humanae *conc.*, iuxta modum et gradum naturali superiorem *subd.*, si superius addatur adiumentum *conc.*, si non addatur *nego.* — *Conc. min.*

Ens dividitur in finitum et infinitum. Iamvero non modo ens finitum, sed etiam ens infinitum est ab humano intellectu cognoscibile et reapse ab eo in praesenti etiam statu cognoscitur. Cognoscitur autem *ex creaturis materialibus*: hic est in praesenti statu naturalis modus et gradus intellectionis humanae circa Deum. Sed creaturae, praesertim materiales, non repraesentant omnes divinas perfectiones, nec illas, quas referunt, ea perfectione exprimunt, qua sunt in Deo: siquidem « sunt effectus causae virtutem non aequantes. » Cum non repraesentent omnes

divinas perfectiones, hinc in praesenti statu non possumus omnia de Deo cognoscere: en igitur mysteria. Cumque illas ipsas perfectiones, quas referunt, non ea perfectione exprimant, qua sunt in Deo, hinc in praesenti statu eorum etiam, quae naturaliter de Deo cognoscimus, conceptum habemus non iam proprium, sed analogicum. — Potest quidem Deus roborare intellectum nostrum, eumque reddere potentem ad cognoscendum Ipsum iuxta modum et gradum naturali superiorem: hoc autem superadditum adiumentum seu robur est prorsus indebitum naturae, atque ex parte Dei omnino gratuitum (1).

III. Veritates superrationales sunt veritates excedentes vim intellectus. Atqui veritates excedentes vim intellectus dari nequeunt. Ergo dari nequeunt veritates superrationales seu mysteria.

Dist. mai. Veritates superrationales sunt veritates

---

(1) Huic difficultati similis est haec altera. — Quidquid habet rationem entis, est, in praesenti etiam statu coniunctionis cum corpore, intellectus nostri obiectum. Atqui nulla est veritas, quae non habeat rationem entis. Ergo nulla est veritas, quae, in praesenti etiam statu unionis cum corpore, non sit intellectus nostri obiectum. — Resp. *Dist. mai*.... obiectum *adaequatum conc. proprium* seu *proportionatum nego*. Ut docet s. Thomas, 1. p q 85. a. 7., « id, quod est *primo* et *per se* cognitum a virtute cognoscitiva, est *proprium* eius obiectum. » Iamvero, ut idem doctor ait, 1. p. q. 84 a. 7., « intellectus angeli, qui est totaliter a corpore separatus, obiectum *proprium* est substantia intelligibilis a corpore separata: et per huiusmodi intelligibile materialia cognoscit Intellectus autem humani, qui est coniunctus corpori, *proprium* obiectum est *quidditas sive natura in materia corporali existens:* et per huiusmodi naturas visibilium rerum, etiam in invisibilium rerum aliqualem cognitionem ascendit. » — De hac distinctione obiecti intellectus in *adaequatum* et *proportionatum* fit sermo in Psychologia. Cf. Liberatore, Metaph. spec. part. alt. cap. 1. art. 5. Cf etiam Schiffini, princ. phil. Logica, num. 423.

excedentes vim omnis intellectus, etiam divini *nego*, vim, eamque naturalem, rationis nostrae *conc.*

Sermo est de excessu non *absoluto*, sed *relativo*, nempe respectu virium, earumque naturalium, mentis nostrae. Dari profecto nequeunt veritates superantes vim omnis intellectus: siquidem veritas dicitur per relationem ad intellectum. Sed dantur veritates, divino quidem intellectui praesentissimae, nostrae autem menti occultae. Has Deus potest per veli illius, quo respectu nostri occultantur, remotionem nobis reddere notas.

IV. Ea, quae sunt supra rationem, non sunt conformia rationi. Atqui ea, quae non sunt conformia rationi, sunt contra rationem, ac proinde sunt prorsus nihil: siquidem ea, quae rationi repugnant, sunt nihil. Ergo ea, quae sunt supra rationem, seu mysteria reapse non dantur.

Dist. mai. Ea, quae sunt supra rationem, non sunt conformia rationi, i. e. non colliguntur ex principiis naturali rationis lumine cognitis *conc.*, i. e. opponuntur principiis naturali rationis lumine cognitis *nego.* — *Contradist. min.* eodem pacto.

Mysteria sunt *veritates*, veritates autem *superrationales*. Cum sint *veritates*, non possunt principiis naturali rationis lumine cognitis contradicere (1): secus, iam non essent veritates. Cum porro sint veritates *superrationales*, non possunt e principiis naturali rationis lumine cognitis certo erui: secus, iam non forent veritates superrationales. Ad rem s. Thomas (2): « Quia quod a summa ve-

(1) Veritas a Deo revelata potest opponi propositionibus *physice certis* (non sane propositionibus *metaphysice certis*): siquidem propositionibus physice certis potest ex divinae omnipotentiae virtute derogari.

(2) Opusc. III. cap. II. Haec autem subiungit: « Ad hoc igitur debet tendere christiani disputatoris intentio in articulis fidei, non

ritate procedit, falsum esse non potest, nec necessaria ratione impugnari valet quod falsum non est; fides nostra — necessariis rationibus sicut probari non potest, quia humanam mentem excedit — ita improbari necessaria ratione non potest, propter sui veritatem. » Itaque mysterium ex hoc, quod est *supra* rationem, nequit, nisi per summum nefas, dici *contra* rationem: dici solummodo potest, non esse *secundum* rationem, quatenus scilicet « necessariis rationibus probari non potest » (1). Simili pacto ea, quae a lege divina positiva praecipiuntur, non sunt nec possunt esse *contra* legem naturalem: possunt tamen esse *supra* illam, atque dici etiam possunt *non secundum* illam, quatenus scilicet ex legis naturalis principiis colligi in particulari nequeunt.

Itaque haec teneatur distinctio, nimirum: — 1°. quaedam relate ad nos rationi clare respondent, e. g. unum esse Deum: — 2°. quaedam eidem opponuntur, ut si diceretur quod unus est Deus et tres sunt dii: — 3°. quaedam nec nostrae rationi respondent nec cum ipsa pu-

---

ut fidem probet, sed ut fidem defendat: unde et b. Petrus (ep. I. cap. III. v. 15.) non dicit, *parati semper ad probationem*, sed *ad satisfactionem*, ut scilicet rationabiliter ostendatur non esse falsum, quod fides catholica confitetur. » Vide etiam contr. gent. l. 1. c. 7. — Cf. opus Card. Mazzella, de Relig. et Eccl. disp. I. art. V., ubi de possibilitate revelationis praeclare agit.

(1) « Etsi fides sit *supra* rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem *vera* dissensio esse potest: cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus. » Acta Conc. Vat. Const. *Dei Filius*. III. cap. IV.

gnant, ut unum esse Deum et hunc unum Deum subsistere in tribus Personis. Priora sunt *secundum* rationem: altera sunt *contra* rationem: tertia nec *secundum* nec *contra*, sed *supra* rationem sunt, excellentioris videlicet ordinis, ad quem nostra ratio limitibus circumscripta pertingere nequit. Ratio itaque sibi relicta, ac de his interrogata, nihil potest interroganti respondere.

β) **De convenientia divinae revelationis.**

47. Demonstrata divinae revelationis possibilitate, agendum iam est de eiusdem utilitate seu convenientia, videlicet — 1°. de convenientia revelationis, quae pro obiecto habeat veritates *rationales* — 2°. de convenientia revelationis, quae humanae menti pandat veritates *superrationales* seu mysteria — 3°. de convenientia revelationis, quae omnibus et singulis non immediate fiat, sed *mediate*.

Thesis XV.

Quod Deus veritates ipsas rationales hominibus revelet, id tum divinae bonitati, quam mirifice demonstrat, tum humanae infirmitati, cui salubriter auxiliatur, congruum omnino est atque apprime conveniens.

48. Demonstratio. Praeter ea, quae pluribus iam locis (1) hac de re innuimus, haec, quae ex Angelico Doctore (2) subiicimus, accurate perpendantur.

« Duplici veritate divinorum intelligibilium existente, *una* ad quam rationis inquisitio pertingere potest, *altera* quae omne ingenium humanae rationis excedit; *utraque*

(1) Cf. super. pag. 177.

(2) Contr. gent. l. I. c. IV.

(i. e. tum rationalis veritas tum superrationalis) convenienter divinitus homini credenda proponitur. — Hoc autem de *illa* primo ostendendum est, *quae inquisitioni rationis pervia esse potest;* ne forte alicui videatur, ex quo ratione haberi potest, frustra id supernaturali inspiratione credendum traditum esse. »

Hoc praestituto prooemio, quo tum status quaestionis tum eiusdem utilitas opportune admodum exponitur, sic a s. Thoma dilucide simul et efficaciter thesis haec demonstratur.

« Sequerentur *tria inconvenientia,* si huiusmodi veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur.

Unum est, quod *paucis* hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. — Quidam siquidem impediuntur *propter complexionis indispositionem,* ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum. Unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. — Quidam vero impediuntur *necessitate rei familiaris.* Oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem. — Quidam autem impediuntur *pigritia.* Ad cognitionem enim eorum, quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, quum fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur. Propter quod metaphysica, quae circa divina versatur, inter philosophiae partes ultima remanet addiscenda. Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest; quem quidem laborem pauci

subire volunt pro amore scientiae, cuius tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum.

Secundum inconveniens est, quod illi, qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix *post longum tempus* pertingerent: — tum propter huiusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur: — tum etiam propter multa, quae praeexiguntur, ut dictum est: — tum propter hoc, quod tempore iuventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens, ut dicitur in septimo Physicorum (1). Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris; quum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem, perveniret.

Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque *falsitas* admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in iudicando et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitationem permanerent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue quum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam

---

(1) Cap. III. *Τῷ γὰρ καθίστασθαι τὴν ψυχὴν ἐκ τῆς φυσικῆς ταραχῆς φρόνιμόν τι γίνεται καὶ ἐπιστῆμον.* Nam eo quod sistitur anima a naturali tumultu, fit aliquid prudens et sciens.

fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. »

Tribus hisce propositis argumentis, ita s. Thomas (1) concludit: « Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut sic *omnes de facili* possent divinae cognitionis participes esse et *absque dubitatione et errore.* » — Similia habentur in Actis Concilii Vaticani (2): « Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae, in rebus divinis, humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione *ab omnibus expedite firma certitudine et nullo admixto errore* cognosci possint. »

49. Scholion. I. Dices: esto, singulos homines non posse has rationales veritates detegere. At nonne in promptu est magisterium sapientum seu philosophorum? Per horum scilicet institutionem possunt *omnes, de facili, absque dubitatione et errore* in cognitionem harum rationalium veritatum devenire. — Duo animadverte.

α) Hoc, quod obiicitur, si verum esset, non id sane demonstraret, quod foret contra hanc thesim probandum, nempe divinam de veritatibus rationalibus revelationem non esse *utilem;* sed hoc unum efficeret, nimirum revelationem harum veritatum non esse *necessariam.*

β) Sed ne hoc quidem dici potest. Id enim, quod obiicitur, gratis omnino affirmatur, et est apprime falsum. Etenim absque divina revelatione cum solo philosophorum magisterio — non *omnes* — non *de facili* — non *absque dubitatione et errore* praedictas veritates cognoscerent.

---

(1) Eadem s. Thomas docet aliis locis, 1. p. q. 1. a. 1., quaest. disp. de verit. q. 14. a. 10.

(2) Sess. III. cap. II.

Non *omnes.* — Nam philosophi (hoc etiam admisso, quod vellent improbum hunc laborem ceteros omnes docendi assumere) quonam pacto alios docerent? Non quidem affirmando veritatem et fidei assensum suis verbis suaeque auctoritati exigendo (1); sed earum, quas enunciant, veritatum rationes demonstrationesque afferendo et explicando. Atqui harum vis demonstrationum non potest percipi nisi *a paucis:* plurimi enim, ut dixi, impediuntur *complexionis indispositione, necessitate rei familiaris, pigritia.*

Non *de facili.* — Nam veritatum harum demonstrationes tum profundae sunt atque subtiles, tum multarum rerum cognitionem praeexigunt, tum postulant animi a passionum motibus quietem, quam sibi comparare omnibus difficile est, praesertim vero iuvenibus.

Non *absque dubitatione et errore.* — Id autem hisce potissimum de causis: quia ipsi philosophi vera dubitanter traderent (2), quia veris falsa admiscerent (3), quia ma-

---

(1) « Ad verum, ita praeclare Lactantius, div. inst. l. 3. cap. 27., frequenter accedunt (Philosophi): sed nihil ponderis habent ista praecepta, quae sunt humana, et auctoritate maiori, i. e. divina illa carent. Nemo igitur *credit*, quia *tam se hominem putat esse qui audit, quam est ille qui praecipit.* »

(2) Ethnici philosophi, etiam praestantissimi, quot quantisque *de animae immortalitate* dubiis premebantur! — Cicero, quaest. Tusc. l. 1. c. 11., haec habet: « Nescio quo modo, dum lego (Platonis librum, qui est de animo), adsentior, cum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, adsensio omnis illa elabitur. » — Seneca, epist. 102., « iuvabat, inquit, de aeternitate animarum quaerere, immo mehercule credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum rem gratissimam *promittentium* magis quam *probantium.* » — Socrates ipse, quamvis doctrinae de immortalitate animae fuisset in vita sua addictus, tamen iam iam moriturus videtur de ea dubitasse. Ait enim, in Apol. Plat. in fine: « Sed hora est iam hinc abire, me ut moriar, vos ut vitam agatis: utri vero nostrum in melius eant omnibus praeterquam Deo est incertum. »

(3) Perpende, quid ethnici philosophi docuerunt e. g. *de mo-*

xime inter se dissentirent (1), quia illa, quae aliis praeciperent esse facienda, non ipsi facerent (2).

---

ribus. Multa sane egregie dixerunt: simul autem quot quantaque turpia atque inhonesta tradiderunt tamquam bona et facienda. Lege Diogenis Laertii libros de vitis, dogmatibus et apophthegmatibus clarorum philosophorum. Alii docuerunt « furto et adulterio et sacrilegio, cum tempestivum erit, daturum operam sapientem: nihil quippe horum natura turpe est » (lib. II. cap. 8. num. 17.). Alii sic ratiocinabantur: « Omnia deorum sunt, amici autem sunt sapientibus dii, sunt autem amicorum omnia communia, omnia igitur sapientum sunt. » Et addebant, « non esse iniquum ex templo quidpiam accipere, aut quodvis gustare animal, ne iniustum quidem esse humanis vesci carnibus, idque ex aliarum gentium consuetudine liquere » (lib. VI. cap. 2. num. 6. Cf. lib. VII. cap. 7. num. 12., lib. IX. cap. 11. num. 3.). Haec autem legenti, illud occurrit Ciceronis, de divinat. lib. II. cap. 58.: « Nescio quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. »

(1) De ethnicorum philosophorum inter se dissensu s. Augustinus, de civit. Dei lib. VIII. cap. 41. num. 2., sic loquitur: « Alii asserebant unum, alii innumerabiles mundos: ipsum autem unum alii ortum esse, alii vero initium non habere: alii interiturum, alii semper futurum: alii mente divina, alii fortuitu et casibus agi: alii immortales esse animas, alii mortales: et qui immortales, alii revolvi in bestias, alii nequaquam: qui vero mortales, alii mox interire post corpus, alii vivere etiam postea, vel paululum, vel diutius, non tamen semper: alii in corpore constituebant finem boni, alii in animo, alii in utroque, alii extrinsecus posita etiam bona ad animum et corpus addebant: alii sensibus corporis semper, alii non semper, alii numquam putabant esse credendum. » Ad rem etiam facit locus hic Tullii, de nat. Deor. l. 1. c. 1.: « Plerique deos esse dixerunt, dubitare se Pythagoras: nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. »

(2) Ita de philosophis sui temporis conquerebatur Tullius, Tuscul. disp. l. II. c. 4.: « Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio

II. Quaeres: ergone divina harum rationalium veritatum revelatio est dicenda *necessaria?* Huic quaestioni sic breviter (hac enim de re pertractatio spectat potius ad Theologos) respondeo:

Revelatio divina est *moraliter* necessaria, ut *ea*, *quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt*, ab omnibus, expedite, firma certitudine et nullo admixto errore *in praesenti quoque humani generis conditione* cognosci possint. — Quaedam huius assertionis verba breviter sunt explicanda: iis autem explicatis, veritas assertionis ex dictis intelligetur.

α) Revelatio dicitur quidem necessaria, sed *moraliter*. — Necessarium *physice* dicitur id, cuius defectu iam non amplius habetur potentia physica aliquid agendi vel cognoscendi. Necessarium vero *moraliter* dicitur id, sine quo adest quidem potentia physica aliquid agendi vel cognoscendi, sed tot tantisque obstaculis difficultatibusque impedita, ut, spectatis moribus hominum, certum sit eam haud esse ad actum venturam.

β) Sermo est *de iis, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt.* — Est nempe sermo de collectione earum veritatum, quae in quavis hypothesi ad religionem pertinent: sunt autem dogmata de Deo creatore, legislatore, iudice ac fine hominis ultimo, necnon dogmata de animae immortalitate, de futurae vitae

---

postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et iactatione, ut iis fuerit non didicisse melius, alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. » Iamvero, ut recte advertit Lactantius, div. institut. l. III. c. 16., « qui docent tantum, nec faciunt, ipsi praeceptis suis detrahunt pondus. »

existentia, ac praemiis poenisque in ea obtinendis a bonis et ab impiis luendis, de lege naturali, deque naturalibus hominis erga Deum, erga proximum et erga seipsum officiis. De huiusmodi veritatibus agitur, non autem de veritatibus *superrationalibus*. Harum superrationalium véritatum seu mysteriorum revelatio est homini necessaria *hypothetice*, i. e. facta suppositione elevationis humani generis ad ordinem finemque supernaturalem: quae elevatio non est homini debita, sed, si a Deo fiat, merum est Dei donum ac maxime gratuitum Ipsius beneficium (1).

γ) Eae etiam adduntur voces, *in praesenti humani generis conditione*. — Scilicet moralis haec necessitas revelationis affirmatur, non quidem *simpliciter*, sed *facta hypothesi* ordinis praesentis Providentiae. Non enim negatur, Deum potuisse humanae succurrere infirmitati *aliter*, quam per hoc adeo excellens caelestis magisterii seu revelationis auxilium, *aliter*, quam per hoc quod Ipse fiat generis humani institutor ac veluti paedagogus. Potuisset sane Deus alia providere hominibus ac suppeditare auxilia *naturalia*, per quae, obstaculis impedimentisque semotis, facilior ipsis redderetur applicatio potentiae physicae ad actum, i. e. ad inquisitionem, inventionem et conservationem rationalium de divinis rebus veritatum. Quae si ob oculos habeantur, illud patebit, eam, quam adstruimus, *moralem necessitatem* non pugnare cum liberali ac benefica, quae tenenda sane est, divinae revelationis *gratuitate*. Sed de his fusius agere, ad Theologos, ut dixi, pertinet.

---

(1) Hac de re cf. Franzelin, de hab. rat. hum. ad div. fidem cap. III. num. III. — Vide etiam super. vol. I. thes. XLVII. p. 374, ubi ex s. Thoma locum attulimus, qui est omnino ad rem, ex 1. 2 q. 91. a. 4. Cf. quoque de verit. q. 14. a. 2. et a. 10.

Thesis XVI.

Utilissima quoque est maximeque conveniens earum revelatio veritatum, quae superrationales sunt mysteriaque dicuntur.

50. Demonstratio. Ut modo dicebamus, superrationalium veritatum seu mysteriorum revelatio est hominibus *necessaria* in hypothesi elevationis humani generis ad finem supernaturalem. Semper autem est *utilis* valde atque apprime *conveniens*. Quantam porro revelatio mysteriorum convenientiam habeat, quantamque nobis afferat utilitatem, s. Thomas, l. saep. cit. cap. V., praeclaris hisce ostendit argumentis.

« Est necessarium huiusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem *veriorem* habendam. Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit, ut supra ostensum est. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest.

Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet *praesumptionis repressio*, quae est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, aestimantes scilicet, totum esse verum quod eis videtur et falsum quod eis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum eius excederent.

Apparet etiam alia utilitas ex dictis Philosophi (1). Quum enim Simonides (2) cuidam homini praetermittendam divinam cognitionem persuaderet, et humanis rebus ingenium applicandum oportere, inquiens, humana sapere hominem et mortalia mortalem, contra eum Philosophus dicit, quod homo debet se ad immortalia et divina trahere quantum potest. Unde in libro primo de animalium partibus (3) dicit quod, quamvis parum sit, quod de substantiis superioribus percipimus, tamen id modicum est magis amatum et desideratum omni cognitione, quam de substantiis inferioribus habemus. Dicit etiam in secundo Coeli et Mundi (4), quod, cum de corporibus coe-

---

(1) Ethic. X. 7. *Οὐ χρὴ δὲ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀθανατίζειν καὶ πάντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ· εἰ γὰρ καὶ τῷ ὄγκῳ μικρόν ἐστι, δυνάμει καὶ τιμιότητι πολὺ μᾶλλον πάντων ὑπερέχει.* Non oportet autem, iuxta quorumdam placitum, eum, qui homo est, humana cogitare, quique mortalis est, mortalia, sed quantum fieri potest conetur fieri immortalis, et omnia facere ad vivendum iuxta illud, quod in seipso optimum est: quamvis enim inertia parvum sit (*alii vertunt,* pondere parvum sit), virtute et pretio omnibus longe praestat. »

(2) Cf. Arist. Metaph. I. 2.

(3) Cap. V. *Ἔχει δ' ἑκάτερα χάριν· τῶν μὲν γὰρ εἰ καὶ κατὰ μικρὸν ἐφαπτόμεθα, ὅμως διὰ τὴν τιμιότητα τοῦ γνωρίζειν ἥδιον ἢ τὰ παρ' ἡμῖν ἅπαντα.* Utrumque (studium tum caelestium tum inferiorum substantiarum) voluptatem habet: licet enim parum illa attingamus, tamen hoc propter nobilitatem cognoscendi dulcius est, quam omnia, quae circa nos sunt, assequi. — Loquitur Aristoteles de substantiis *naturalibus,* hoc est corporibus sensibilibus, quae dividit in duo genera, i. e. in corpora *coelestia,* quae iuxta ipsius opinionem sunt ingenita immortalia ac saeculis omnibus duratura, et in corpora *sublunaria,* quae generantur et corrumpuntur.

(4) Text. comm. 34. — S. Augustinus, de gen. ad litt. l. V. n. 84., dicit esse « incomparabili felicitate praestantius Deum ex quantulacumque particula pia mente sentire, quam illa universa (creata) comprehendere. »

lestibus quaestiones possint solvi parva et topica solutione, contingit auditori, ut vehemens sit gaudium eius.

Ex quibus omnibus apparet, quod de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert. Et ideo quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis (1) acquirit, si saltem ea qualitercumque teneat fide. »

Hoc aliud animadvertam. Posita mysteriorum revelatione, nos id, quod optimum in nobis est atque praestantissimum, possumus Deo offerre ac subiicere, nempe *rationem:* ea, quae aliqualiter tantum intelligimus, plene ac firmiter credentes ob infallibilem Dei loquentis auctoritatem. Iamvero est ex parte Dei conveniens, quod Ipse hoc a nobis exigat, pariterque est ex parte nostra omnino conveniens, quod nos hoc Ipsi exhibeamus obsequium, hoc, inquam, obsequium adeo honorificum acceptumque Deo ac nobis meritorium. Nonne utilitas haec, si aliae deessent, vel sola sufficeret ad ostendendam maximam revelationis divinae, quae mysteria etiam complectatur, convenientiam?

51. Scholion. Cum Deus, sic arguunt nonnulli, possit perfectam mysteriorum cognitionem largiri, inconveniens videtur, quod eam homini deneget. — Respondeo, quod iuxta catholicam, quam hic supponimus, doctrinam Deus perfectam mysteriorum cognitionem homini non

---

(1) Quod sic etiam ostendi potest. — Revelatio mysterii Trinitatis ac mysterii Incarnationis profundiorem nobis attulit cognitionem notionum *personae, generationis* et *naturae.* Revelatio mysterii Eucharistici ampliorem nobis attulit cognitionem circa *naturam corpoream, extensionem, spatium* et *locum.* Ergo mysterium, quamvis suis sit tenebris obvolutum, non tamen obtenebrat, sed illuminat intellectum: hoc sane efficit, ut caute incedat in ratiocinando erroresque vitet.

absolute denegat, sed solummodo differt ad futuram vitam: interim in mortali hac vita homini mysteria illa proponit imperfecte, in aenigmate et per fidem, tenenda. Haec autem divinae sapientiae dispositio est apprime conveniens, tum ob eas, quas iam attulimus, tum ob eas, quas addimus, rationes.

Est 1.°) valde conveniens, quod homo perfectam mysteriorum cognitionem sibi promereatur: promeretur autem per fidem, qua mysteria aliqualiter cognita tenet firmiter ob summam Dei loquentis auctoritatem. « Est, inquit s. Augustinus (1), fides credere, quod nondum vides: cuius fidei merces est videre, quod credis. Tempore igitur fidei tamquam tempore sementis non deficiamus, et usque in finem non deficiamus, sed perseveremus, donec quod seminavimus metamus. »

Praeterea 2.°) est sane conveniens, quod homo sicut in naturali ordine, ita in ordine supernaturali paulatim ac successive per quosdam gradus evadat perfectus. — In naturali ordine homo est primo quidem infans, deinde puer, tum iuvenis, demum vir perfectus: neque id *quoad corpus* solummodo, sed etiam *quoad animam intellectivam*, quae scilicet conditionem corporis, cui naturaliter consociata est, sequitur. Hinc passim distinguitur intellectus *infans*, intellectus *puerilis*, intellectus *adultus*: *infans*, qui nempe est in potentia ad cognoscendum, nondum tamen in actum cognoscendi transiit: *puerilis*, qui nimirum incipit se evolvere sub magisterio seu disciplina aliorum, quibus debet fere in omnibus fidere, *oportet enim addiscentem credere*, δεῖ γὰρ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα (2): *adultus*, qui videlicet perfectam habet scientiam, rationem eorum, quae prius ferme ex sola auctoritate tenebat, plene

(1) Serm. XLIII ab init.

(2) Aristot. de sophist. elenchis cap. II.

videns. — In ordine item supernaturali humanus intellectus primo quidem imperfectus est in statu parvuli, tum vero perfectus evadit in statu adulti. In statu parvuli permanet per totam hanc mortalem vitam, ad statum adulti assurget in futura vita: in statu parvuli de superrationalibus veritatibus cogitat ac loquitur ut parvulus, scilicet balbutiendo, in statu adulti de iisdem loquetur ut Angelus, eorum scilicet linguis: in statu parvuli credit instructori Deo, in statu adulti videbit ipsum Deum.

Ne putes tamen, mentem nostram in hoc etiam statu parvuli, seu in hoc etiam viae statu, nullum posse in intelligentia mysteriorum profectum facere. « Ratio, verba sunt Concilii Vaticani (1), fide illustrata, cum sedulo pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine ultimo. » Unde vides, rationem nostram (secus ac rationalistae affirmant) posse etiam nunc multipliciter se exercere circa mysteria: scilicet — ut ea analogicis notionibus distinctius concipiat, — ut ea illustret ac tueatur, — ut veritates alias, quae cum iis connectuntur, deducat vel confirmet etc. Mens tamen nostra, ut idem Concilium docere pergit, « numquam idonea redditur ad ea (mysteria) perspicienda, instar veritatum, quae *proprium* (2) eius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Do-

(1) Const. *Dei Filius*, cap. IV.

(2) Vide ea, quae de obiecto *adaequato* et de obiecto *proportionato* seu *proprio* intellectus nostri diximus super. pag. 187.

mino: per fidem enim ambulamus et non per speciem (1).»

Hisce autem proposita difficultas apte solvitur et tota haec thesis clare illustratur (2).

---

(1) II Cor. V. 6. — Scilicet, procedimus in vita ista per fidem, *et non per speciem*, i. e. non per perfectam visionem.

(2) Plenius adhuc illustratur praeclaris, quae subiicimus, s. Thomae verbis, quaest. disp. de verit. q. 14. a. 10.: « Non contingit aliquid de imperfecto ad perfectum adduci, nisi per actionem alicuius perfecti; nec perfecti actio ab imperfecto statim recipitur in principio perfecte; sed primo quidem imperfecte, postea perfectius, et sic deinde quousque ad perfectionem perveniat. Et hoc quidem manifestum est in omnibus rebus naturalibus, quae per successionem temporis aliquam perfectionem assequuntur. Et similiter videmus in operibus humanis, et praecipue in disciplinis. In principio enim homo imperfectus est in cognitione: ad hoc autem quod perfectionem scientiae consequatur, indiget aliquo instruente, qui eum ad perfectionem scientiae ducat; quod facere non posset, nisi ipse perfecte scientiam haberet, utpote comprehendens rationes eorum, quae sub scientiam cadunt. Non autem in principio suae doctrinae statim ei, qui instruitur, tradit rationes subtilium, de quibus instruere intendit; quia tunc statim in principio scientiam haberet perfecte qui instruitur; sed tradit ei quaedam, quorum rationes tunc, cum primo instruitur discipulus, nescit; sciet autem postea perfectus in scientia. Et ideo dicitur, quod *oportet addiscentem credere:* et aliter ad perfectam scientiam pervenire non posset, nisi scilicet supponeret ea, quae sibi in principio traduntur. quorum rationes tunc capere non potest. Ultima autem perfectio, ad quam homo ordinatur, consistit in perfecta Dei cognitione: ad quam quidem pervenire non potest, nisi operatione et instructione Dei, qui est sui perfectus cognitor. Perfectae autem cognitionis statim homo in sui principio capax non est: unde oportet quod accipiat per viam credendi aliqua, per quae manuducatur ad perveniendum in perfectam cognitionem. Quorum quaedam talia sunt, quod in hac vita de eis perfecta cognitio haberi non potest, quae totaliter vim humanae rationis excedunt; et ista oportet credere quamdiu in statu viae sumus: videbimus autem perfecte in statu patriae. Quaedam vero sunt, ad quae etiam in hac vita perfecte cognoscenda possumus pervenire, sicut illa quae de Deo demonstrative probari possunt: quae tamen a principio necesse

Thesis XVII.

Revelatio illa, quae mediata dicitur, suas etiam habet, easque multiplices, congruentias.

52. Demonstratio. De *possibilitate* revelationis mediatae iam diximus: ostendimus autem, ad credendum nullo pacto esse necessarium, ut fidei obiectum per ipsum Deum immediate omnibus et singulis proponatur. Quaerimus nunc de *convenientia* revelationis mediatae: tres autem congruentias, quae praecipuae sunt, assignamus.

Prima congruentia est haec: quia per revelationem mediatam maior perfectio a Deo gubernante rebus gubernatis communicatur. — « Tanto, inquit s. Thomas (1), erit melior gubernatio, quanto maior perfectio a gubernante rebus gubernatis communicatur. Maior autem perfectio est, quod aliquid in se sit bonum et etiam sit aliis causa bonitatis, quam si esset solummodo in se bonum. Et ideo sic Deus gubernat res, ut quasdam aliarum in gubernando causas instituat: sicut si aliquis magister discipulos suos non solum scientes faceret, sed etiam aliorum doctores. »

Secunda congruentia est haec: quia sic melius providetur consensioni et unitati fidei inter homines. — « Eodem modo, inquit Perrone (2), ac homines cupiditatibus irretiti abusi sunt rationis lumine, quod omnibus

---

est credere propter quinque rationes, quas Rabbi Moyses ponit. » Hae autem sunt rationes illae, quas in superiore thesi exposuimus. Cf. etiam 2. 2. q. 2. a. 3.

(1) In 1. p. q. 103. a. 6. Vide etiam respons. ad 2.m et 3.m difficultatem.

(2) De vera relig. part. 1. cap. 1. prop. 2. num. 28.

affulget, atque in absurda non pauca lapsi sunt; sic etiam communi eiusdem revelatione abuterentur, eamque ad cohonestanda turpia quaeque deducerent, quin umquam argui possent falsitatis. Singuli enim a Deo ea se accepisse affirmarent, quae non essent nisi propriae mentis deliria, ac totidem essent religiones quot capita, prout evenisse in ea, quam rationalistae vocant primitivam revelationem, experientia demonstrat. Quare et hoc habetur emolumentum ex mediata revelatione, quod scilicet unitas atque consensio, quae sunt praecipuae verae religionis notae, inde exsurgant, tum publica hominum societas atque professio, necnon publicum societatis istius et professionis vinculum. Alioquin, ne fraudi daretur locus, a singulis efflagitanda essent miracula et vaticinia, quod quam absurdum sit, nemo non videt. »

Tertia congruentia est haec: quia hic revelationis modus confert ad maiorem humilitatem exercendam, maiusque proinde meritum acquirendum. — « Potuit, inquit Suarez (1), hoc conferre ad maius meritum fidei, et maiorem humilitatem exercendam, dum in re difficillima homo subiicitur homini, etiam quoad intellectum, in quo solet esse maior difficultas. »

53. Scholion. Ex iis, quae hactenus de revelatione diximus, hoc manifeste sequitur corollarium: — Vis ergo humanae rationis neque est nimis exaggeranda, ut Rationalistae faciunt, neque est nimis deprimenda, ut faciunt Traditionalistae. Ii errant in hoc, quod statuant, rationem humanam omnia posse, non modo physica, sed etiam morali possibilitate, illudque tantummodo esse verum quod ab humana ratione proveniat (2): ex quo fit,

---

(1) De fide, part. 1. disp. IV. sect. 1. num. 4.

(2) En ipsa Rationalistarum verba: affirmant, « que la raison humaine est capable de tout. qu'elle peut tout entreprendre,...

ut divinam revelationem tamquam inutilem immo impossibilem reiiciant. Alii vero in hoc errant, quod contendant, rationem humanam nihil posse ex se absque divina revelatione, quam notam faciunt Scripturae sacrae ab Ecclesia explicatae vel traditiones a maioribus acceptae et a primitiva revelatione originem habentes: quare divinam revelationem statuunt esse physice necessariam pro veritatibus etiam ordinis naturalis. — Itaque ea est seligenda ac tenenda doctrina, quae utrumque vitet extremum, mediaque incedat via inter Rationalismum et Traditionalisnum: talis autem est doctrina in superioribus thesibus exposita.

Quaestionibus de revelationis *possibilitale* ac *convenientia* absolutis, quaestio foret nunc instituenda de eiusdem *cognoscibilitate*, i. e. de notis seu criteriis, quorum ope divina revelatio ab hominum fraude discernatur. Huíusmodi notarum praecipuae, ut omnes consentiunt, sunt *miracula* (1) et *prophetiae*. Quae notae si *vere* exstent ad confirmandam aliquam doctrinam vel ad comprobandam alicuius missionem, quae tamquam *divinae* perhibeantur; iam *evidens* est divinitas illius doctrinae vel illius missionis, in cuius gratiam notae illae exstant. — Sed ab hac pertractanda quaestione abstinemus, tum quia brevitati studere volumus, tum quia ea quaestio ad Philosophiam Religionis atque ad Theologiam potius pertinet.

Unum tautummodo innuam brevissime. Dixi miracula et prophetias *evidentem* reddere divinitatem doctrinae vel missionis, in cuius confirmationem sunt edita. — At

---

qu' elle est la seule autorité légitime, et que cela seul est vrai qui vient d' elle,.. qu' on a (justement) battu en ruine ce principe de croyance, qu' on appelle révélation, foi, autorité. » Iouffroy. Mélanges. Du probléme de la destinée humaine, pag. 439.

(1) De *miraculis* agitur in Metaphysica speciali.

recolendum ex Logica est, duplicem distingui *evidentiam*, videlicet alteram *simpliciter* talem, alteram talem *secundum quid*. Prior est illa, quae intellectum prorsus necessitat, atque omnem etiam possibilem errandi formidinem abigit: hac evidentia pollet haec veritas, totum est maius sua parte. Altera est illa, quae apta est excludere prudentem dumtaxat ac rationabilem errandi formidinem, quaeque proinde non determinat intellectum ad assensum firmum, nisi mediante imperio voluntatis. — Iamvero non prioris illius, sed huius alterius generis est evidentia, quae resultat ex notis seu criteriis divinae revelationis. Ex quo fit, ut assensus revelationi *praestitus* sit meritorius, *negatus* autem sit demeritorius, utpote irrationabiliter atque ex culpabili obstinatione negatus (1). Haec viam nobis sternunt ad aliam pertractandam quaestionem, quae ad morum scientiam proprie pertinet, quaestionem nempe de debito divinam amplectendi revelationem.

;) De debito divinam amplectendi revelationem.

54. Probandum assumimus, non quidem *factum positivum* revelationis, sed *naturale* simulque *hypotheticum*

---

(1) Ad rem Taparelli, *saggio teoret.* diss. 1. cap. 9. num. 244.: « L' attual provvidenza esigea che potesse l'uomo *ostinato* resistere alla fede, purchè potesse ogni uomo *di buona fede* agevolmente arrivarci. Or questo appunto è il doppio carattere della moral certezza: perocchè dall' un canto siccome la sua evidenza risulta da un complesso di prove, è facile a chi vuol dissentire il distogliere l'attenzione dallo sterminato lor numero e dalla forza invincibile della lor combinazione, analizzandole ad una ad una, e per così dire notomizzandole in modo da privarle della vita, dell'immensa forza, che la sintesi lor conferisce, affin di render possibile con un sofisticar da scettico la miscredenza. Dall'altro siccome le sue prove son prove di fatto, riescono accessibili ad ogni mediocrissimo ingegno, e formano col numero e contrasto loro evidenza perfetta. »

officium eam amplectendi, si ea (ut *possibile* ac *conveniens* est) existat. Non itaque theologos agimus, sed philosophos, dum hoc affirmamus tuemurque, hominem naturali teneri officio, revelationi, si a Deo fiat, penitus adhaerendi.

Thesis XVIII.

I. *Facta hypothesi, Deum homini revelationem fecisse, iure naturae tenetur homo, plenum mentis obsequium ei adhibere.* II. *Oborto dubio de divinae revelationis existentia, eodem iure naturae tenetur homo, illam, uti par est, inquirere.*

55. Demonstratio. Duplicem spectamus casum — 1°.) hominis, qui factum divinae locutionis *certo* cognoscit — 2°.) hominis, qui de tali facto *dubitat.*

1°. Qui de facto divinae revelationis certitudinem habet, et loquenti Deo fidem detrectat, is iniuriam infert Deo, et proinde legem naturalem violat gravissime. Et sane fidem detrectat — vel quia iudicat Deum posse falli aut fallere — vel quia existimat Deum hominibus loquentem non eo consilio loqui, non hoc velle, ut sibi fides adhibeatur — vel quia non vult se se divinae voluntati submittere. Si 1m., Dei scientiae et veracitati iniuriam infert, ut patet manifeste. Si 2m., iniuriam infert Dei sapientiae: est enim insipientis loqui alteri, et non hoc velle, non hanc habere mentem, quod sibi ab altero credatur. Si 3m., supremo Dei dominio, ut manifestum est, infert iniuriam (1).

---

(1) « Profecto si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio, ut sibi fides adhibeatur. Nec potest is, qui fidem detrectat, non

2°. Qui de facto divinae revelationis dubitat, atque negligit inquirere, utrum ea reapse existat necne, is etiam legem violat naturalem. Haec enim lex, ut data opera explicavimus alio loco (1), ad duo nos obligat, nempe non modo ad voluntatem Dei certo cognitam implendam (ne scienter eam violemus), sed etiam ad sedulo inquirendum in voluntatem Dei (ne eam transgrediamur per inquirendi negligentiam). Posita autem Dei ad homines locutione, existit sane, ut paulo ante dicebamus, haec Dei voluntas, hoc Dei mandatum, de revelatis veritatibus propter auctoritatem Dei loquentis firmiter ab homine tenendis. — Examen porro et inquisitio, quam debet humana ratio instituere, spectat non iam *doctrinam* revelatam, utrum ea vera sit necne (hoc enim divinae veritati iniuriam inferret), sed tantummodo *factum* revelationis. Inquirere humana ratio debet, utrum necne Deus reapse sit locutus: revelationis autem facto cognito, debet ei penitus acquiescere (2).

Ut hoc debitum divinae amplectendae revelationis impugnent ac reiiciant, multa congerunt Rationalistae, potissimum vero haec duo — mysteria esse veritates non evidentes — mysteria esse propositiones, de quarum terminis ideam seu cognitionem non habemus. Haec autem solves distinguendo duplicem evidentiam, alteram

---

inferre iniuriam, aut *Dei scientiae* et *veracitati,* cum eum erroris vel fraudis non expertem innuit, aut *Dei sapientiae,* cum eum absque consilio agere et loqui opinatur, aut *supremo eius dominio,* cui se non vult submittere, unde etiam aeternae damnationis reus pronunciatur. » Conc. Colon. (decr. p. 1. c. 4.).

(1) Vide super. vol. 1. thes. LII., quae de *conscientia* agit.

(2) Ad rem Taparelli, *saggio teoret.* dissert. 1. cap.IX. n. 242.: « Tocca alla ragione esaminare, se Dio parlò: ma accertato il fatto, se la ragione non consente, se teme che il *Vero* sia *falso,* ella è una ragione che sragiona. »

intrinsecam seu *obiecti* alteram *extrinsecam* seu *testimonii*, duplicemque cognitionem, alteram *propriam* seu *quidditativam* alteram *impropriam* seu *analogicam*. De quibus distinctionibus cum iam paulo ante dixerimus (1), operae pretium non est, diutius in iis explicandis immorari (2).

§. IV. De religione naturali ac revelata.

Thesis XIX.

Ex dictis consequitur, existere religionem naturalem firmiter ab homine custodiendam, cui si accedat, ut possibile ac conveniens est, religio revelata, haec quoque est pleno mentis obsequio suscipienda sancteque servanda.

56. Praenotiones. De voce hac, *religio*, duo breviter inquiremus, — quodnam sit eius etymon — quaenam sit eius vis et acceptio.

I. Sunt qui religionis nomen deducendum censent a *relegendo*, quia videlicet ea, quae ad cultum Dei spectant, sunt frequenter animo revolvenda ac cogitanda. Huic sententiae adhaeret Tullius (3): « Qui omnia, quae

---

(1) Vide super. pag. 183. seqq.

(2) Hoc unum explicationis gratia addam. — Cognitio *propria* est illa, quam habemus de re aliqua per propriam eius speciem: exemplo sit cognitio nostra de corporibus. Cognitio *impropria* est illa, quam de re aliqua habemus per speciem alterius, ex quo scilicet quaedam addendo et quaedam demendo pervenimus ad aliquam rei illius notitiam nobis comparandam: exemplo sit cognitio nostra de spiritibus. Vide locum Lessii super. allatum vol. 1. pag. 84. adnot. 1.

(3) De nat. Deor. l. II. c. 28. num. 72.

ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti *religiosi* ex *relegendo*, tamquam ex diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim in verbis omnibus inest vis *legendi* eadem, quae in religioso. » — Ab hac Tullii sententia recedit Lactantius inquiens (1): « Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo iusta et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo ac *religati* sumus, unde ipsa religio nomen accepit, non, ut Cicero interpretatus est, a *relegendo*. » — Altera haec, quam Lactantius tradit, religionis etymologia nobis placet magis: ex proprio enim virtutis religionis munere desumitur. Quae scilicet virtus hoc habet munus, ut creaturam rationalem, naturali iam propensione ac debito Deo conditori suo *obligatam*, magis magisque eidem Deo per superadditam habitus inclinationem coniungat ac novo quasi vinculo *religet*; ea merito potuit religio appellari. Haec de vocis huius etymo: breviter nunc de vario eiusdem vocis usu et acceptione loquamur.

II. Religio accipitur *primo* subiective, pro virtute morali: sic autem accepta definitur, interior animae habitus ad debitum Deo cultum praebendum inclinans (2). — Accipitur *secundo* obiective, pro collectione officiorum ad cultum Dei pertinentium: hoc autem posteriori sensu accepta dividitur in *naturalem* et *revelatam*, prout solo rationis lumine innotescit, aut singulari Dei ipsius eloquio seu revelatione nobis manifestatur. — Hac in paragrapho sermo nobis est de religione inspecta, non iam

---

(1) Lib. 4. de vera sap. c. 28. Eadem videtur esse s. Augustini sententia aientis, de vera relig. c. ult., « religet nos religio uni omnipotenti Deo. » Vide etiam s. Th., c. gent. l. III. c. 119.

(2) Cf. super. vol. 1. thes. LVIII. pag. 445.

prout est virtus moralis, sed prout est officiorum ad Dei venerationem spectantium complexus. Horum officiorum (quae partitio debet ob oculos haberi) alia quidem in *credendo*, alia vero in *agendo* consistunt: e. g. ligamur officio et tenendi firmiter Deum esse ipsam bonitatem, et corde atque ore Deum ob infinitam eius bonitatem laudandi. Hinc dici recte solet religionis esse duplicem veluti partem, alteram *theoreticam*, alteram *practicam*: theoretica continet veritates credendas, practica actiones ponendas. Pars theoretica alterius partis, nempe practicae, motivum est et anima.

57. Demonstratio. Duas haec thesis complectitur partes, quarum — altera *naturalem* — altera *revelatam* religionem spectat. Utramque partem breviter absolvimus, cum utraque sit perspicuum ex tribus praecedentibus paragraphis corollarium.

I. Duo autem statuit de religione *naturali*, nimirum *primo* eius existentiam, *secundo* eius profitendae universalem prorsus obligationem. Quae duo ex iis, quae in toto hoc articulo diximus, patent manifeste: existit sane summa officiorum erga Deum naturalium, quae ab homine sunt sancte custodienda.

II. Duo similiter statuit de religione *revelata*, nempe *primo* eius possibilitatem ac convenientiam, *secundo* eius profitendae, si a Deo naturali religioni superaddatur, arctissimam obligationem. Profiteri autem revelatam religionem debemus, omnia eius dogmata firmissima fide tenendo, *omnia* inquam, illa quoque, quorum intimas rationes humana mens nequeat intelligere. Haec pariter sunt ex iis, quae in superiore paragrapho diximus, manifesta.

58. Scholion. Accedimus potius ad duo refellenda systemata, — alterum de *autonomia* in negotio religionis — alterum de *indifferentia* circa diversas religiones.

I. Systema de autonomia in negotio religionis « cuique homini, ita exitialem hunc errorem denuntiavit S. Pontifex Pius IX. (1), quoddam veluti primarium ius tribuit, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat. » — Atqui non ita res se habet. Deum colere debemus cultu illo, qui Ei est acceptus: quinam vero sit cultus Deo acceptus, nos docet religio naturalis ac revelata, quae non excogitatur aut effingitur a nobis, sed nobis sive velimus sive nolimus a lege divina indicatur et imponitur.

II. De altero iam systemate, nempe de indifferentia circa diversas religiones, agamus. — Religiones, quae *dicuntur* a Deo revelatae, possunt esse et reapse sunt plures, eaedemque pugnantes inter se ac oppositae. Est religio (2) Catholica, quae docet Iesum Christum, cum sit vivus et verus Filius Dei, esse adorandum: est secta Socinianorum, quae docet Christum non esse adorandum, cum sit simplex creatura. Est religio Catholica, quae docet adorandum esse sanctissimum Sacramentum in altari: est secta Calvinistarum, quae docet adorationem illam esse actum idololatriae. Omnes autem se dicunt revelatas, se divinas esse proclamant. Quid ergo agendum?

Sunt, qui tuentur, obligationem, de qua hac in thesi locuti sumus, profitendi religionem revelatam, impleri, quaecumque tandem ex pluribus iis religionibus, quae dicuntur revelatae, seligatur ac servetur. Huiusmodi opinio *indifferentismus* in religione vocari solet: est autem opinio apprime falsa. Nam obligatio profitendi religionem revela-

(1) In Alloc. *Maxima quidem*, 9 Iun. 1862.

(2) Animadverte, hoc *religionis* nomen transferri solere ad ipsam Ecclesiam, tamquam ad principium manifestativum officiorum, quibus legitimae religionis obsequium constat.

tam respicit religionem illam, quae dicatur et insuper *vere sit* revelata, non autem quae *tantummodo dicatur* revelata. Iamvero ex iis pluribus religionibus fieri nequit, ut *omnes* vere sint a Deo revelatae. Deus enim negare seipsum non potest: contraria autem revelando dogmata, suam negaret sapientiam, sanctitatem, veritatem.

Quare illi, qui invenerit plures religiones, quae etsi inter se sint oppositae, a Deo tamen revelatae dicantur, hoc est agendum: is sedulo inquirere debet, utrum aliqua sit inter illas, quae certis indiciis probet, se *vere* esse id quod se esse dicit, nempe revelatam seu divinam. Hanc ubi detexerit, debet eam integre et ex animo amplecti firmiterque tenere.

Et sane, ut rem exemplo aliquo illustremus, inter cives haudraro dissensiones oriuntur et sectae, affirmantibus aliis, aliis negantibus hanc esse regis voluntatem, ut v. g. ad bellum pergatur. Nemo umquam diceret, obligationem obtemperandi regi impleri, quidquid tandem fiat, sive ad bellum quis progrediatur, sive non: indifferens prorsus esse, alterutri ex oppositis illis sententiis adhaerere. Sed omnes intelligerent statim obligationem esse inquirendi, quid vere rex velit, cognitamque veram regis voluntatem exsequendi. — Restat igitur, indifferentismum, quem vocant, in rebus religionis rectae rationi adversari ac maximam Deo inferre iniuriam. « Horrendum est, ita S. Pontifex Pius IX. (1), ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cuiuslibet religionis indifferentia systema. »

Hanc de officiis erga Deum disputationem placet verbis Lactantii (2) absolvere: Deum colere « est hominis

---

(1) In Ep. Enc. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846.

(2) Div. institut. adv. gent. l. VI. de vero cultu cap. 1.

officium, in eoque solo summa rerum et omnis beatae vitae ratio consistit: quandoque propterea ficti et inspirati ab eo sumus, non ut coelum videremus et solem (quod Anaxagoras putavit), sed ut artificem solis et coeli Deum pura et integra mente coleremus. » Et rursus (1): « In Dei cognitione et cultu rerum summa versatur: in hoc est spes omnis ac salus hominis: hic est sapientiae gradus primus, ut sciamus quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debita prosequamur, huic pareamus, huic devotissime serviamus; in eo promerendo actus omnis et cura et opera collocetur. »

ARTICULUS II.

De officiis hominis erga seipsum.

59. Haud recte diceretur, hominis erga seipsum officia hac includi formula, *ama teipsum*. Etenim « amare est velle alicui bonum » (2). Sed homo ex naturali necessitate vult sibi bonum (3). De iis autem, quae ex physica necessitate fiunt vel omittuntur, sicut non datur lex, ita nec obligatio datur seu officium.

60. At duplex distinguitur bonum, nempe *verum* et *apparens*. Prius est illud, quod in se est bonum, et praeterea est bonum *proprium* entis illius, de quo agitur. Posterius autem est illud, quod vel reapse non est bonum, vel non est bonum *proprium* illius entis, de quo est sermo.

---

(1) Ibid. cap. IX.

(2) Ita s. Thomas 1. 2. q. 26. a. 4. De amore cf. Aristotelem Rhetor. II. 4.

(3) Vide super. vol. 1. thes. V., praesertim pag. 39.

61. Ac bruta quidem suum *verum* bonum necessario in suis actionibus prosequuntur. « Bruta ex vi naturae impelluntur ad agendum *convenientes* actiones » (1). Non ita homo: libero enim quo pollet arbitrio potest recte uti vel male, ponere actiones suae naturae convenientes vel e contrario actiones suae naturae oppositas, persequi suum verum bonum vel in eo bono quod tantummodo apparens sit sistere (2). Hinc pro homine locus est *legi*, quae ei dictet ut *convenienter* suae naturae agat, locus est *officio*, quo teneatur — *primo* quidem, detegere ubi et quodnam sit *verum* ipsius bonum — *secundo* autem suas ad illud actiones dirigere. Existit ergo hoc hominis erga seipsum officium, quo tenetur suum verum bonum sibi velle, seu, quod idem prorsus est, seipsum amore recto seu ordinato diligere.

62. Haec formula, *dilige teipsum amore ordinato*, est sane illa, quae omnia hominis ad seipsum officia complectitur ita, ut omnia ex ea possint deduci. Hanc igitur formulam spectantes ex eaque ratiocinantes inquiremus, quaenam in particulari sint hominis erga semetipsum officia — primo, quoad *animum* — secundo, quoad *corpus*. Haec enim est obvia horum, quibus erga nos ipsos tenemur, officiorum partitio.

---

(1) Ita s. Thomas, suppl. q. 65. a. 1.

(2) Vide super. vol. 1. thes. V. pag. 36. — Ut similitudine adhibita dici ab auctoribus solet, homo est ut informis quaedam marmoris moles, quae facultatem habeat simulque obligatione teneatur, se se in nobilem pulchramque statuam vi et activitate sua effingendi iuxta perspectam Conditoris sui ideam seu normam (i. e. se reddendi virum prudentem, iustum, temperantem, fortem). Ea tamen obligatio est necessitas *moralis:* potest ergo libero, quo pollet, arbitrio homo abuti et informis moles remanere aut etiam in vilem despectamque statuam se componere. Quod si faciat, a Conditore, cuius intentionem voluntatemque sprevit, proiicietur merito ac punietur.

§. 1. De officiis quoad animum.

Thesis XX.

Amor ille ordinatus, quo unusquisque ex naturae lege seipsum prosequi tenetur, hoc in primis exigit, ut homo in hoc viae et militiae statu a Deo constitutus ad finis ultimi, qui in Deo est, assecutionem totis viribus sese promoveat per legis, praecipue naturalis, custodiam seu per exercitationem virtutis.

63. Demonstratio. Homo, ut modo dicebamus, naturali tenetur officio suum *verum* bonum prosequendi. Sed verum hominis bonum est ante omnia finis eius ultimus: cetera, quae sunt vera hominis bona, in tantum hanc boni veri rationem habent, in quantum ad finem ultimum adducunt seu referuntur. Ergo homo hoc in primis tenetur officio, sese ad finis ultimi assecutionem adducendi. — Quod idem potest alio modo declarari. Ut dictum est, homo naturali ligatur officio amandi seipsum ordinate. Sed ordo hoc in primis exigit, ut ab homine illud intendatur bonum, quod est summum ipsius bonum, maxima eius perfectio seu finis eius ultimus: bonum, inquam, illud, quod si homo habet, est beatus, etiamsi aliis bonis careret, quo si caret, est miser, quamvis cetera bona omnia possideret (1). Ergo homo naturali adstringitur officio tendendi in finem suum ultimum.

(1) Cf. vol 1 thes. VI., praesertim pag. 55. — Totum caput 1m. partis prioris praesupponitur hac in thesi.

Sed quomodo tendere in illum debet? Per custodiam *legis* (1), praecipue vero *naturalis:* Cur praecipue? Quia lex naturalis est *prima* lex, et quia cum iubeat servandas esse positivas etiam Dei leges, necnon iustas etiam principum humanorum ordinationes, haud plene impletur, nisi positivae etiam leges sive divinae sive humanae custodiantur (2).

Itaque, ut paucis omnia complectamur, homo ad duo in primis tenetur. — Quod spectat ad *intellectum,* debet claram de duobus cognitionem sibi comparare, videlicet, de *fine* homini a Deo praestituto et de *lege* homini a Deo lata ad finem illum obtinendum: quae sunt, ut initio praecedentis partis (3) dicebamus, duae illae quaestiones, ad quas aliae omnes moralis philosophiae quaestiones revocantur. — Quod autem spectat ad *voluntatem,* debet eam reddere ac conservare promptam expeditamque ad legem fideliter fortiterque custodiendam: hoc autem praestabit, habitus virtutum moralium, i. e. prudentiae iustitiae temperantiae ac fortitudinis (4), acquirendo et acquisitos quotidiana exercitatione magis magisque firmando.

64. Scholion. Haec autem qui constanter peragat, is eoipso *curam habebit boni nominis,* i. e. bonae apud eos, quibuscum vivit, existimationis viri probi et honesti et in suo explendo munere periti. Hanc boni nominis curam habendam esse, et sacra Scriptura iubet (5)

---

(1) Hac de re diximus super. vol. 1. thes. XI. pag. 98.

(2) Vide super. vol. 1. thes. XLV. pag. 353.

(3) Vide super. vol. 1. pag. 3.

(4) Vide super. vol. 1. cap. VI. art. II., qui est de virtutibus.

(5) Praesertim in Ecclesiastico cap. XLI. v. 15.: « Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. » Et Prov. XXII. 1.: « Melius est nomen bonum quam divitiae multae. »

et ipsa naturalis ratio dictat. « Etenim, ut apte disserit Tongiorgi (1), bona existimatio maiorem virtuti stabilitatem affert, fidem et amicitias conciliat, contra aliorum iniurias validum est propugnaculum, et ad omnia illa emolumenta, quae societas probis honestisque viris confert, nobis aditum pandit: quandoque etiam necessaria est ad hoc ut proprio munere fungi atque ipsam adeo vitam sustentare possimus. »

§. II. De officiis quoad corpus.

Thesis XXI.

Deus homini vitae suae arbitrium non reliquit: quare seipsum interimere est actio in se mala, proindeque a naturali lege prohibita.

65. Demonstratio. *Primo* afferemus argumenta ad intrinsecam suicidii turpitudinem (2) demonstrandam: *secundo* praecipuas, quae opponi solent, difficultates solvemus.

I. Deus, utpote cunctarum rerum creator (3), ple-

---

(1) Eth. partic. num. 313.

(2) « Licet, ita Card. de Lugo, de iust. et iure disp. X. sect. 1. num. 3., licet turpitudo suicidii statim appareat, non tamen facile est eius fundamentum invenire: unde, quod in aliis multis quaestionibus contingit, magis certa est conclusio, quam rationes, quae variae a diversis afferuntur ad eius probationem. »

(3) Vide super. vol. 1. thes. XL. pag. 328. Vide etiam super. thes. IV. pag. 61., et thes. VIII.

num et perfectum habet earum omnium dominium (1): sicut plantarum atque animalium, ita etiam vitae hominis absolutus est dominus. — Tamen homo licite potest, non iam tantummodo *uti* plantis et animalibus, sed de iis quoque *disponere*, arbores evellendo et destruendo, animalia vulnerando et occidendo. Cur ergo numquam licite potest de vita sua disponere, seque interimere?

Huic quaestioni non fieret satis, hoc simpliciter respondendo, *quia Deus est nostrae vitae dominus*. Nam, ut dixi, aeque est aliarum rerum dominus, e. g. horum pomorum, agni huius: neque id tamen impedit, quominus illa poma edere, agnum illum interficere licite queam. Eodem igitur pacto, hoc tantummodo, *Deum esse meae vitae dominum,* nisi aliquid aliud addas, non probat, me certis in casibus (dico, *certis in casibus:* omne enim ius debet *rationabiliter* exerceri) non posse licite meam vitam destruere. — Quare quaestioni illi sic est respondendum, *quia Deus, cum rerum omnium sit dominus, plantas quidem et bestias aliasque res subiecit libero hominis arbitrio, sed homini non reliquit arbitrium vitae suae.* Optima quidem est haec responsio, eademque clarissima. Rem enim alienam destruere licite possum, si eius dominus meo libero arbitrio eam relinquat, non possum, si non relinquat: id facere, actio est *in se* mala, proindeque ab illa naturali lege prohibita, quae actiones omnes in se malas vetat.

Sed, quaeres, undenam hoc constat, Deum, qui alias res, uti omnino compertum est (2), libero hominis arbitrio subiecit, homini vitae suae arbitrium non reli-

---

(1) Iuxta illud Ps. XXII. 1.: « Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in ea. » — De hoc Dei dominio cf. de Lugo, op. cit. disp. II. sect. 1. num. 4.

(2) S. Thomas, in 2. 2. q. 64. a. 1., ex duplici capite, nempe ex principiis rationis et ex revelatione, probat, viventia esse a Deo

quisse? Respondeo, duo animadvertendo ac distinguendo: — α) non constat, Deum voluisse homini suae vitae arbitrium relinquere: immo — β) constat, Deum noluisse homini concedere arbitrium vitae suae. Primum iam sufficeret, ad concludendum, suicidium esse illicitum: ut enim actus disponendi de re aliena sit illicitus, hoc sufficit, si de ea re quis disponat absque certa scientia de voluntate seu consensu domini talem ei licentiam concedentis. Hinc s. Augustinus (1) postquam dixit, licere se occidere ex divina iussione, addit statim, id quidem licere, dummodo *divina iussio nullo nutet incerto.* Sed alterum quoque habetur: videlicet, et ex positiva Dei locutione seu revelatione, et ex principiis solo etiam naturali rationis lumine cognitis constat, Deum noluisse homini concedere arbitrium vitae suae.

---

relicta arbitrio hominis, qui proinde licite potest eadem occidere. « Nullus peccat ex hoc, quod utitur re aliqua ad hoc, ad quod est. In rerum autem ordine imperfectiora sunt proptet perfectiora: sicut etiam in generationis via natura ab imperfectis ad perfecta procedit. Et inde est quod sicut in generatione hominis prius est vivum, deinde animal, último autem homo: ita etiam ea, quae tantum vivunt, ut plantae, sunt communiter propter animalia: omnia autem animalia sunt propter hominem. Et ideo si homo utatur plantis ad utilitatem animalium, et animalibus ad utilitatem hominum, non est illicitum, ut patet per Philosophum, in 1. Polit. c. 5. et 7. to. 1. Inter alios autem usus maxime necessarius esse videtur, ut animalia plantis utantur in cibum, et homines animalibus, quod sine mortificatione eorum fieri non potest. Et ideo licitum est et plantas mortificare in usum animalium, et animalia in usum hominum, ex ipsa ordinatione divina. Dicitur enim Gen. I. 29.: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam. Et Gen. IX. 3.: Omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera viventia, tradidi vobis omnia. » — Vide super. thes. III. pag. 51.

(1) De civ. Dei, l. 1. cap. XXVI.

Dixi *primo,* id constare ex positiva Dei locutione seu revelatione.

Huc sane facit quintum Decalogi praeceptum, *Non occides.* Quae verba sic apte ad rem nostram exponit s. Augustinus (1): « Et prohibitos *nos* esse intelligendum est, ubi Lex ait, *Non occides.* Praesertim quia non addidit, *proximum tuum:* sicut falsum testimonium cum vetaret, *Falsum*, inquit, *testimonium non dices adversus proximum tuum.* Nec ideo tamen si adversus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putaverit alienum. Quoniam regulam diligendi proximum a semetipso dilector accepit: quandoquidem scriptum est, *Diliges proximum tuum, tamquam teipsum.* Porro si falsi testimonii non minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quam si adversus proximum hoc faceret; cum in eo praecepto, quo falsum testimonium prohibetur, adversus proximum prohibeatur, possitque non recte intelligentibus videri, non esse prohibitum, ut adversus seipsum quisque falsus testis assistat: quanto magis intelligendum est, non licere homini seipsum occidere, cum in eo, quod scriptum est, *Non occides*, nihilo deinde addito, nullus, nec ipse utique, cui praecipitur, intelligatur exceptus. » Tum vero sententia illorum reiecta (2), qui « hoc praeceptum etiam in bestias ac pecora conantur extendere, ut ex hoc nullum etiam illorum liceat occidere, » ita concludit: « Restat, ut de homine intelligamus, quod dictum est, *Non occides:* nec alterum ergo, nec te. Neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit. » Itaque ex revelatione constat, Deum homini arbi-

---

(1) De civ. Dei l. 1. c. 20. — Cf. de Lugo, op. cit. disp. X. sect. 1. num. 1.

(2) Vide super. thes. III. schol. pag. 53.

trium vitae suae minime reliquisse, sed potestatem in hominis vitam sibi reservasse.

Idem *secundo* constat ex principiis solo etiam naturali rationis lumine cognitis.

α) Spectemus *primo* instinctum naturalem, qui inest homini, in sui conservationem. — Existentia huius naturalis instinctus ab Auctore naturae, ut in rebus inanimatis atque in brutis, ita etiam ac maxime in homine inditi nequit in dubium revocari. Est factum manifestissimum, quod quaelibet res naturali nisu conatur conservare se in esse, et propriam impetentibus existentiam resistit, quantum potest (1). Iamvero ex instinctu, seu tendentia *naturali* recte arguimus ad detegendam intentionem voluntatemque Dei, qui talem inseruit inclinationem. Sic e. g. ex naturali hominis tendentia in felicitatem apte deduximus (2), Deum destinare hominem ad vitam beatam, eamque vere ac serio velle homini conferre. Item ex naturali hominis propensione ad societatem recte suo loco colligemus, hanc esse Dei intentionem, ut homo socialem cum aliis hominibus vitam degat. Cuius illa-

(1) Vide solo avulsam humique relictam plantam: rursus radices agere, suamque protrahere vitam conatur. Nil dicam de brutis: quantum resistant corrumpentibus, quotidie videmus. Specta infantem: si impetatur, clamores edit, parvasque protendens manus aggressorem repellere nititur. Specta hominem morti proximum: corpus animam retinere. animaque corporis possessionem conservare totis viribus conatur. Brevi, res omnes opponunt resistentiam τῷ *non esse*: nec desunt physiologi qui hac in resistentia collocent essentiam ipsam vitae. — Apposite Tullius, de off. l. 1. c. 4.: « Generi animantium omni est a natura tributum. ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur, omniaque, quaecumque ad vivendum sunt necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. »

(2) Vide super. vol. 1. thes. V.

tionis rectitudo est clara, nisi dicere velis naturam, i. e. Deum naturae auctorem, temere et frustra operari, hominemque esse tumultuarium et incogitatum opus (1). Simili igitur ratione ex naturali, qui nobis inest, instinctu in nostri esse conservationem debemus concludere, hanc esse Dei voluntatem, ut nosipsos in esse conservemus: tantumque Deo displicere suicidium, ut illud quasi impossibile reddere voluerit per maximam, quam naturaliter sentimus, aversionem a nostri huius compositi dissolutione, seu per maximum, quem *in statu normali* (2) experimur, mortis horrorem magnumque illum, qui mortem comitatur, dolorem (3).

β) Spectemus *secundo* officia socialia, quibus homo in societate vivens ligatur. — Haec officia Deus vult impleri ab homine, nec cum damno societatis, cuius homo pars est et membrum, praetermitti. Loquimur autem praecipue de societatibus *domestica* et *civili*, quae, ut suo loco demonstrabimus, sunt stricto sensu naturales, i. e. a Deo ipso institutae et volitae. Iamvero haec officia societatis contemnit suicida. Ut aliquod afferamus exemplum, quis non videt, quantam paterfamilias, qui violentas sibi

---

(1) Apte Seneca, de benef. l. VI. c. 23.: « Scias non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus. » Et paulo ante: « Cogitavit nos ante natura quam fecit; nec tam leve opus sumus, ut illi poterimus excidere. »

(2) Hic status *normalis* est considerandus, ex eoque de mente ac voluntate conditoris Dei diiudicandum.

(3) Ad rem faciunt haec s. Io. Chrysostomi, hom. 87. in Io., verba: « Nemo sine dolore a corpore dissolvitur, divina hoc utiliter dispensante providentia, ne multi violentam mortem eligerent. Nam si etiam sic hoc diabolus persuadere potest, et quamplurimos in praecipitia et voragines impulit, nisi tantum animae esset corporis desiderium, in parvo etiam moerore multi sibi mortem consciscerent. »

manus iniiciat, iniuriam irroget uxori filiisque, quorum naturaliter est rector et provisor? item, quanta dux exercitus, qui sibi necem inferat, iniuria afficiat, belli praesertim tempore, civitatem, cuius incolumitati prospicere tenetur?

γ) Spectemus *tertio* naturalem hominis in hac vita degentis conditionem. — Hac in mortali vita homo est servus Dei (1), nec iam est talis *accidentaliter* seu *ex libera suae voluntatis electione,* sed *essentialiter* seu *ex natura sua.* Hoc autem discriminis intercedit inter eum, qui servus est accidentaliter, et eum, qui talis est natura sua, quod cum ille *modum* et *durationem* servitii, ut plurimum, determinare possit, hic e contrario nequeat, sed huiusmodi determinatio ad illum pertineat, qui dominus eius est absolutus et essentialis. Iste nativo iure potest sic servum alloqui, *servias et si fidelis eris debitam recipies mercedem:* sic autem indefinite loquens, non ei relinquit, sed manifeste sibi reservat potestatem definiendi modum durationemque servitii praestandi. Iamvero Deus hoc pacto, i. e. indefinite, unumquemque hominem per naturae vocem alloquitur, dum eum hoc in mundo collocat. Quare « transitus ab hac vita ad vitam feliciorem (a statu servitii ad statum retributionis) non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati divinae » (2). Si vitae huius servitium nimis videatur durum diuturnumque, cogita mercedem multo ampliorem aeternamque futuram.

Tria haec, quae attulimus, argumenta, deprompsimus ex angelico Doctore (3), cuius en verba: « Seipsum oc-

---

(1) Cf. super. vol. 1. thes. XI.

(2) Ita s. Thomas, 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3m.

(3) Loc. nunc cit. — Haec tria, quae s. Thomas affert, argumenta perpendit, evolvit, suoque modo proponit de Lugo, op. et loc. cit. num. 2. seqq. Cf. praesertim num. 17-19., in quibus expli-

cidere est omnino illicitum, triplici ratione. — *Primo* quidem, quia naturaliter quaelibet res seipsam amat, et ad hoc pertinet, quod quaelibet res naturaliter conservat se in esse et corrumpentibus resistit, quantum potest. Et ideo, quod aliquis seipsum occidat, est contra inclinationem naturalem et contra caritatem, qua quilibet debet seipsum diligere. Et ideo suiipsius occisio semper est peccatum mortale, utpote contra naturalem legem et contra caritatem existens. — *Secundo,* quia quaelibet pars id quod est, est totius. Quilibet autem homo est pars communitatis; et ita id quod est, est communitatis. Unde in hoc, quod seipsum interficit, iniuriam facit communitati, ut patet per Philosophum (1). — *Tertio,* quia vita est quoddam donum divinitus homini attributum, et eius potestati subiectum, qui occidere et vivere facit. Et ideo qui seipsum vita privat, in Deum peccat; sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum, cuius est servus, sicut peccat ille, qui usurpat sibi iudicium de re sibi non commissa. Ad solum enim Deum pertinet iudicium mortis et vitae, secundum illud Deuteronomii (2), *Ego occidam et ego vivere faciam.* » Hactenus s. Thomas (3).

---

cat, contra quam *virtutem* sit proprie hoc peccatum occidendi seipsum: et ait, « esse contra virtutem *iustitiae,* quatenus homo disponit de re non sua, sicut si esset dominus, et hoc absque facultate et consensu domini, qui est solus Deus. »

(1) Ethic. lib. V. cap. 11.

(2) Cap. XXXII. 39.

(3) Ad rem etiam facit notus ille Platonis locus, Phaed. cap. 6: « Id mihi, o Cebes, recte dici videtur, deos curam habere nostri et nos homines unam quamdam ex possessionibus esse deorum: aut non ita tibi videtur? Mihi quidem, inquit Cebes. Nonne igitur, inquit, et tu, si quod ex mancipiis tuis se ipsum perimeret, cum tu minime significasses velle te ut e vita excederet, irascereris illi, et si potestatem haberes, poena quadam afficeres? Omnino inquit:

II. Praecipuas nunc, quae opponi solent, difficultates breviter solvamus. — Nil dicam de obiectionibus, quae fundantur in *falso supposito*, quod *finis*, cuius gratia Deus hominem condit atque hac in vita collocat, in hoc situs sit, quod deliciis fruatur voluptatibusque indulgeat. Atqui non hic est vitae huius finis, sed *tendere* ad perfectam felicitatem altera in vita obtinendam tamquam mercedem, ad eamque tendere *per custodiam legis* seu *exercitium virtutis*. Id autem homo facere semper potest, quibuscumque tandem in adiunctis reperiatur, sive secundis sive adversis, in his fortitudinem, in illis temperantiam exercendo (1). — Item nil dicam de eo, quod obiici solet: cur tanta de suicidio disputatio, cum constet eos, qui sibi mortem consciscunt, id agere in statu amentiae? Etenim

---

Fortasse igitur hoc modo non praeter rationem est, non prius decere se ipsum interficere, qnam deus necessitatem aliquam imposuerit, qualem nobis imposuit in praesentia. » — Nota etiam sunt illa Ciceronis verba, Tusc. disp. I. 30.: « Vetat dominans ille in nobis Deus iniussu hinc nos suo demigrare.... Vir sapiens laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincla carceris ruperit, leges enim vetant, sed tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a Deo evocatus atque emissus exierit. » Et in l. VI. de Republ., in somn. Scip., haec leguntur: « Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus animus est in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus (*aliqui addunt* humanum) adsignatum a Deo defugisse videamini. »

(1) Cf. super. vol. 1. cap. 1., praesertim thes. XII. — Cf. etiam Taparelli, *saggio teoret.* ecc. dissert. 1. cap. 10. num. 276.: item, *corso elem. di nat. diritto*, lib. II. num. 103., ubi haec sapienter animadvertit: « Appunto perchè la natura ci mostra la felicità *avvenire* dipendente dallo *sforzo*, con cui pieghiamo all'ordine il nostro presente operare volontario, fra gli urti delle vicende e delle passioni, ne siegue che il suicidio con cui vuolsi evitare questa *pugna* è in diretta opposizione alla tendenza ragionevole. »

primo rem consideramus obiective, utrum id sit licitum necne. Et *secundo* negamus, suicidium *numquam* perpetrari actu *voluntario* et *libero*: etsi quandoque desit, tamen ut plurimum adest sufficiens advertentia rationis et indifferentia activa voluntatis (1).

α) Suicidium est actus fortitudinis. Atqui actus fortitudinis est licitus. Ergo suicidium est licitum. — *Dist. mai.* Suicidium est actus *virtutis* fortitudinis *nego*, firmitatis animi *subd.*, firmitatis *verae* animi *nego*, cuiusdam *apparentis* firmitatis animi *trans.*

Cur enim quis sibi mortem infert? Ex eo quod impatiens aerumnarum, quibus premitur, mortem ut minus malum apprehendit et eligit. Haec non est animi firmitas sed mollities. — Ad rem s. Thomas (2): « Ad fortitudinem pertinet, quod aliquis *ab alio* mortem pati non refugiat *propter bonum virtutis* et ut vitet peccatum (3). Sed quod aliquis sibiipsi inferat mortem, ut vitet mala poenalia, habet quidem *quamdam speciem* fortitudinis (propter quod quidam seipsos interfecerunt, aestimantes se fortiter agere, de quorum numero Razias fuit), non tamen est *vera* fortitudo, sed magis quaedam mollities animi non valentis mala poenalia sustinere » (4).

β) Volenti non fit iniuria. Ergo suicidium non est iniuria vel iniustitia: qui enim sibi mortem consciscit,

---

(1) Vide e. g. quae de morte Othonis Imp. narrat Svetonius, in Othone circa fin.

(2) Loc. cit. ad 5m. — Cf. Descuret, *la medecine des passions* p. 2. ch. XIII. circ. fin.

(3) Vide ea, quae de *fortitudinis* virtute diximus super. vol. 1. thes. LVIII. pag. 449.

(4) Vide quae pulcherrima de hac re habet s. Augustinus de civ. Dei l. 1. cap. 22. seqq. — Vide etiam Aristotelem, Ethic. l. III. cap. VII. num. 13., edit. Didot. — Notum etiam est illud Martialis: « Rebus in adversis facile est contemnere vitam. Fortiter ille facit, qui miser esse potest. »

volens id facit. — *Conc. ant.* et *dist. cons.* Suicidium per comparationem ad communitatem et praesertim ad Deum non est iniuria vel iniustitia *nego*, per comparationem ad illum ipsum qui se interficit *trans.*

Hac de re ita s. Thomas (1): « Suicidium est peccatum, non solum quia contrariatur iustitiae, sed etiam quia contrariatur caritati, quam habere debet aliquis ad seipsum. Et ex hac parte occisio suiipsius est peccatum per comparationem ad seipsum. Per comparationem autem ad communitatem et ad Deum, habet rationem peccati, etiam per oppositionem ad iustitiam. » — Apte etiam Aristoteles (2). Ὁ δὲ δι' ὀργὴν ἑαυτὸν σφάττων ἑκὼν τοῦτο δρᾷ παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ὃ οὐκ ἐᾷ ὁ νόμος· ἀδικεῖ ἄρα. Ἀλλὰ τίνα; ἢ τὴν πόλιν, αὑτὸν δ' οὔ; (alii legere mallent, ἦ τὴν πόλιν, αὑτὸν δ' οὔ.) Ἑκὼν γὰρ πάσχει, ἀδικεῖται δ' οὐθεὶς ἑκών. Διὸ καὶ ἡ πόλις ζημιοῖ καί τις ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείραντι ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι. Qui vero per iram seipsum mactat, volens *hoc* patrat contra rectam rationem, *quod* minime permittit lex: igitur iniuriam facit. Sed cui? Num reipublicae, non autem sibi? (*vel, ut alii legere mallent,* nempe reipublicae, non vero sibi.) Volens enim patitur, nemini autem volenti iniuria fit. Quaproptet et Respublica poenam irrogat, et quaedam infamia sequitur eum, qui seipsum interfecit, cum Reipublicae iniuriam faciat.

γ) Vita est donum seu beneficium. Atqui possumus renuntiare beneficiis. Ergo possumus renuntiare vitae. Et sane multi, qui id fecerunt, non idcirco reprehenduntur. — *Dist. mai.* Vita est beneficium, ita tamen concessum, ut benefactor Deus arbitrium ipsius non reliquerit homini, sed tantummodo usum dederit *conc.*, secus *nego*.

---

(1) Loc. cit. ad 1m.

(2) Ethic. l. V. c. 11.

Ad illud vero, quod additur, de aliquibus, qui seipsos occiderunt neque idcirco reprehenduntur, haec accipe ex Card. de Lugo (1): « Aliqui ex illis non se directe occiderunt, sed ob finem honestum se mortis periculo exposuerunt, quod licitum est (2): quo pacto Eleazarus (3) excusatur, qui se ei periculo exposuit, a quo liberari poterat, si bestia versus aliam partem cecidisset: fortasse etiam Sampson (4) hoc modo excusari potuit. — Sed aliter secundo excusatur ipse et alii, qui Dei instinctu peculiari (5) id fecerunt, quod effectus in Sampsone comprobavit, cui Deus vires peculiares et supernaturales ad columnas evellendas restituit. Beata etiam Apollonia Spiritus sancti inspiratione creditur id fecisse (nempe se in ignem praeparatum iniecisse, antequam a carnifice proiiceretur). — Tertio, alii ignorantia invincibili (6) excusantur, quae circa rem adeo abstrusam facile

(1) Op. cit., disp. X. sect. 1. num. 15.

(2) Hac de re statim in scholio agemus.

(3) 1. Machab. VI. – Eleazarus ut elephantum, cui hostium rex insidere videbatur, interficeret, seipsum a bestia opprimendum supposuit.

(4) Iudic. VI. -- Sampson a s. Paulo, Hebr. XI., inter sanctos connumeratur. S. Augustinus, de civ. Dei l. 1. cap. 21., de Sampsone loquens haec habet: « Nec Sampson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppresserit, nisi qnod latenter Spiritus sanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. » Cf. s. Thomam, l. cit. ad 4.

(5) Quando prorsus constet de hac peculiari Dei inspiratione, actio vitam sibi adimendi, non est, ut patet, mala. « Qui audit, ita s. Augustinus, op. et l cit. cap. 26., non licere se occidere, faciat, si iussit cuius non licet iussa contemnere. Tantummodo videat, *utrum divina iussio nullo nutet incerto.* » Debet scilicet, ut iam diximus, *vere* et *omnino* constare de Dei iussione vel inspiratione.

(6) Ignorantia *invincibili* intercedente (itemque, usu et advertentia rationis deficiente, ut in iis contingit, qui se in statu amen-

in feminis (1) reperiri potuit. Raziam (2) multi non excusant. Alii tamen etiam per ignorantiam invincibilem et bonum zelum excusatum fuisse credunt. »

δ) Homo, ut non est dominus vitae, ita ne membrorum quidem est dominus. Atqui potest tamen brachium v. gr. vel pedem sibi amputare. Ergo potest etiam vitam sibi adimere. — *Dist. min.* Potest, si mutilatio sit necessaria ad conservationem vitae *conc.*, secus *nego.*

« Sicut, ait de Lugo (3), homo non est dominus sui, sic non est dominus suorum membrorum. Nam homo est omnes suae partes simul; si ergo haberet dominium suarum partium, esset dominus suiipsius: sicut ergo non potest de se disponere, sic nec de suis membris, quae suum esse componunt et integrant. Ceterum quia licet non sit dominus, est tamen *administrator* et *gubernator* suiipsius, ideo quando abscissio alicuius membri necessaria esset ad conservationem vitae, potest illud abscindere, cum partes ordinari debeant ad totum, et con-

---

tiae perimunt), actio se interficiendi (haud secus ac actio mentiendi etc.) est mala *materialiter* et *obiective,* non *formaliter* et *subiective.* Vide super. vol. 1. thes. LIII. pag. 412. — Haec autem invincibilis ignorantia potest *aliquando* habere locum. « Se occidere, ita Lessius, de iust. et iure l. 2. c. 9. dub. 6., *ob patriae salutem* aut *pudicitiae custodiam* non est ita evidens esse malum, quin inculpate possit ignorari, et putari licitum: cum non solum ethnici (praesertim Stoici, quorum sententiam eleganter explicat Iustus Lipsius cent. 2. epist. 26.), sed etiam multi Christiani, etsi doctissimi, ita videantur sensisse. »

(1) Alludit ad feminas, quae a s. Ambrosio, l. 3. de virginit., et ab Eusebio Caesar., l. VIII. hist. eccl. cap. 12., referuntur quod ob pudicitiae conservationem se se in profluentem proiecerunt.

(2) II. Machab. XIV. — Razias, ne in manus hostium veniret, se praecipitavit et prius ictu gladii periit.

(3) Op. et l. cit. num. 21. — Hac de quaestione cf. s. Thomam, q. 65. a. 1.

sequenter postponi debeant bono totius (1). » Agit itaque partes prudentis conservatoris custodisque vitae curae suae concreditae: ac proinde a domino Deo, qui tale ei munus commisit, laudabitur ut fidelis ac prudens.

ε) Mors quandoque est medium ad vitandum malum morale. Ergo tunc saltem suicidium est licitum. — *Dist. ant.* Mors quandoque est medium *licitum* ad vitandum malum morale *nego*, medium *illicitum*, *παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον* (2), cuius loco alia adhiberi possunt ac debent media maxime licita et idonea *conc.*

Ut s. Thomas (3) loquitur, « nulli licet seipsum occidere ob timorem, ne consentiat in peccatum: quia *non sunt facienda mala ut veniant bona vel ut vitentur mala* (4), praesertim minora et minus certa (5). Incertum enim

---

(1) Haec porro subiungit: « An vero non solum *possit*, sed *debeat* membrum secare ad conservandam vitam, respondeo, debere eam curationem permittere, quando medici necessarium iudicarent et absque intenso dolore fieri posset. Secus, si acerbissimo dolore fieret: quia non tenetur homo media extraordinaria et difficillima adhibere ad vitae conservationem, sed ordinaria et non admodum difficilia, » ut statim explicabimus in scholio.

(2) Vide locum Aristotelis mox cit. pag. 229.

(3) L. cit. ad 3m

(4) Vide super. vol. 1. thes. XX. pag. 177.

(5) « Quis, ita s. Augustinus, op. et l. cit. cap. 25., quis ita desipiat, ut dicat: iam nunc perpetremus homicidium, ne *forte* postea incidamus in adulterium? Nonne si tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potius peccata eligantur, satius est *incertum de futuro* adulterium, quam *certum de praesenti* homicidium? Nonne satius est, flagitium committere, quod poenitendo sanetur (permanendo in vita), quam tale facinus, ubi locus salubris poenitentiae non relinquitur?» Hoc postremum etiam s. Thomas, l. cit. ad 3m., animadvertit inquiens: « Suicidium est periculosissimum, quia non restat tempus, ut per poenitentiam expietur. » — Cf. insuper ea, quae s. Augustinus eadem de re addit, op. et l. cit. cap. 27.

est, an aliquis in futurum consentiat in peccatum: potens est enim Deus hominem, quacumque tentatione superveniente, liberare a peccato. » Èt alio loco (1), « saluti, inquit, spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri praecisionem (itemque, *quam per vitae destructionem)*; quia peccatum subiacet voluntati. »

ζ) Princeps civilis potest occidere malefactorem. Ergo etiam seipsum, si sibi constet, se esse malefactorem. — Adverto inprimis hanc thesim eo proprie spectare, ut ostendat neminem privatum posse *privata sua auctoritate* sibi mortem inferre. Id ergo, quod obiicitur, non est proprie contra hanc thesim: siquidem *princeps* civilis, qui ad poenam de perpetratis criminibus luendam se interficeret, id faceret auctoritate non privata, sed *publica*. Idem dicendum est de quaestione, quam statim subnectimus, utrum reus ad mortem damnatus possit ipse in se statutam poenam exsequi, non quidem proprio arbitrio, sed ex commissione iudicis ac proinde ex *publica* auctoritate. Iuvat tamen has etiam quaestiones breviter attingere, tum ad confirmandam thesim (cum enim responsio sit pro utroque casu *negativa*, argumentum habemus *a fortiori*), tum etiam ad rationum, quas attulimus, vim ac sensum magis clariusque intelligendum.

Ad primam quaestionem sic respondet angelicus Doctor (2): « Ille, qui habet publicam potestatem, potest licite malefactorem occidere, per hoc quod potest de ipso iudicare. Nullus autem est iudex suiipsius. Unde non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum. Licet tamen ei se committere iudicio aliorum. »

---

(1) In 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3m. — Non inquinatur corpus, dixit tyranno s. Lucia, nisi de consensu mentis.

(2) Loc. cit. ad 2m.

Difficilior est alia quaestio: utrum reus morte mulctatus (saltem, *iuste*) possit ipse sibi poenam applicare seque interimere? — Certe, ut iam diximus et aperte constat, non potest id facere proprio arbitrio et auctoritate. Constat etiam iudicem seu principem non habere potestatem *obligandi* malefactorem, ut ipsemet sibi mortem inferat (1). Sed quamvis non debeat seu non sit obligatus, potestne reus ex auctoritate iudicis ei concedentis seu committentis exsecutionem poenae sibi vitam adimere? « Negativa sententia, ut bene inquit Becanus (2), tenenda est. *Primo,* quia est communis (3), a qua in rebus practicis non est facile recedendum. *Secundo*, quia sicut nemo idoneus est exsecutor sententiae mortis in parentem, partim ob reverentiam illi debitam, partim ob naturalem coniunctionem: ita multo minus in seipsum. Est enim actio directe pugnans cum inclinatione communi naturae: nulla enim res seipsam ullo casu perimere intendit. Ex quo fundamento solvenda sunt contraria

---

(1) Cf. Vasquez, in a. 2. s. Thomae disp. 173. cap. 3.

(2) De iure et iust. cap. LXIV. quaest. XI. num. 4. — Cf. de Lugo, op. et l. cit. num. 11. seqq.: Vasquez, op. et disp. cit. cap. 4.: Lessius de iust. et iure lib. II. cap. 9. num. 25.

(3) Aliqui auctores, quos citati doctores recensent, sententiae affirmanti adhaerent, saltem ut probabili pro aliquibus casibus. Ipse Vasquez, l. cit. num. 25., « adderem, inquit, posse aliquem eligere poenam mortis abscindendo sibi venam, ut emisso sanguine moriatur, aut etiam bibendo venenum, si hac ratione acerbiorem aliam mortem vitet: sic enim poena haec nihil videtur habere inhumanum. Hoc tamen intelligerem si optio illi detur a principe vel a legitimo iudice, qui potestatem habet puniendi, non autem si a tyranno detur: hic enim cum non habeat talem potestatem, non potest reo facultatem concedere in seipsum. Ea etiam, quae diximus, intelligenda sunt de eo, qui iuste et sine falsa praesumptione damnatur ad mortem. »

argumenta. » Quod ergo dici solet, posse a iudice *cuivis* committi exsecutionem sententiae, debet sic intelligi, ut ii censeantur exclusi, qui non sunt *idonei* ministri, qui nempe si ipsi sententiam exsequantur, iam poena evadit inhumana seu in crudelitatem (1) declinans.

66. SCHOLION. I. Quando dominus rei alicuius, huius rei dat alteri non quidem arbitrium, sed tantummodo curam administrationemque; alter rem suae gubernationi concreditam tenetur debito modo conservare. Atqui hoc pacto, ad vitam quod spectat, se nobiscum gerit (uti probatum est) rerum omnium dominus Deus. Ergo naturali tenemur obligatione conservandi vitam.

In huiusmodi autem naturali officio distingui debet pars duplex, *negativa* et *positiva*. Negative, debemus abstinere ab omni actu, qui sit inductivus mortis: ut sunt actus pectus ferro transverberandi, aut se se coniiciendi in ignem, aut se se leoni devorandum obiiciendi. Positive, debemus ponere eos actus, qui sunt media communia, ordinaria et facilia continuationis vitae. Hinc obligatio convenientis usus cibi et potus, necnon aliarum rerum, quae quotidianum virium physicarum defectum aut arcent aut supplent: item tempore infirmitatis obligatio adhibendi remedia consueta, et quae in nostra sunt potestate, etsi non sint a quavis molestia seiuncta: uno verbo, obligatio moderatam de valetudine curam habendi. — Ad rem de Lugo (2): « Non solum dicitur se interimere homo, quando ferro se occidit, sed etiam quando mediis communibus

---

(1) Vide ea, quae de crudelitate habet s. Thomas, 2. 2. q. 159. a. 2.

(2) Op. et l. cit. num. 27. — In primo casu, eius nempe qui ferro se occidit, habemus exemplum suicidii voluntarii *directi* seu *positivi*: in altero casu, eius nimirum qui nihil vellet comedere, exemplum habemus suicidii voluntarii *indirecti* seu *negativi*. Vide super. vol. I. thes. XIII. pag. 113.

vitam non conservat; quare ille, qui obstinate nihil vellet comedere, dicetur se fame interemisse. »

Dixi, media *communia, ordinaria* et *facilia*. Neque enim obligatio se extendit ad media *exquisita, extraordinaria* et *admodum difficilia*. Cuius rei ratio haec est, quia qui non adhibet media ordinaria et facilia, quae natura providet et in medio ponit ad vitae conservationem, is est vitae gubernator *negligens*, imo se gerit ac si plenus esset vitae dominus, eam in suo possidens arbitrio. Iure igitur meritoque reprehendetur ac punietur a Deo, qui dominus est vitae, nec huius arbitrium homini concessit, sed eam homini debito modo conservandam administrandamque commisit. Qui vero solum omittit media extraordinaria et admodum difficilia, is moraliter non censetur se se gerere tamquam vitae dominum vel arbitrum, neque etiam moraliter censetur negligens vitae gubernator. Etenim rei alicuius gubernator maiorem minoremve de illa re curam habere debet, prout maior minorve est rei sibi commissae dignitas: haec autem temporalis vita etsi magnum sit bonum, non tamen est bonum maximum, tantique pretii, ut debeat exquisita atque extraordinaria diligentia procurari eius conservatio, renuntiando etiam e. g. exercitio virtutis, acquisitioni scientiae aliisque huiusmodi praestantioribus bonis, ad quae acquirenda haec nobis vita a Deo confertur. Non ea sane potest esse mens ac intentio legislatoris *sapientissimi* Dei in hac nobis imponenda obligatione conservandi vitam: nulla autem obligatio se extendit ultra mentem legislatoris. — Audiatur rursus de Lugo (1): « Distinguatur hoc quod est mortem positive afferre, et hoc quod est non adhibere media *omnia* ad eam arcendam vel impediendam. Illud

(1) Op. et l. cit. num. 36. — Lege etiam num. 21. et 29.

prius non est licitum....... Hoc tamen posterius non est semper illicitum, sed frequenter est licitum. Unde iuxta communem doctorum sententiam non est obligatio utendi medicina exquisita et pretiosa ad vitandam mortem: neque etiam obligatur quis ad relinquendum proprium domicilium et patriam, ut transferat se ad aliam civitatem et quaerat salubriorem aerem suae valetudini opportunum et necessarium: haec enim omittere non est se occidere, sed permittere mortem ex se obvenientem, et relinquere se ordinariis et communibus mediis, sine quibus alii homines communiter vivunt. Neque enim hic se occidit, sed moritur propter aegritudinem vel infirmitatem suae naturae, cui non tenebatur modis omnibus accurate subvenire. »

II. Ex iis autem, quae diximus, apparet veritas illius theseos, quam communiter statuunt auctores, nimirum, *ob rationabilem iustamque causam aliquando licere mortis pericula ex se obvenientia non fugere, aut etiam iis se se obiicere.* E. g. optime agit miles, qui tempore belli stationem non deserit, licet certus moraliter sit quod ibi permanens ab hostibus interficietur: itemque sacerdos, qui tempore pestis confessiones aegrotorum audit, eisque sacramenta ministrat cum manifesto contagii periculo (1).

---

(1) Sacerdos in iis, de quibus diximus, adiunctis non dicitur *adimere sibi vitam*, sed *dare vitam suam*, *ponere animam suam*. Primum est illicitum. De altero autem actu legimus, Io. XV. 13., dictum a Christo Domino: « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Vides ergo maximum esse discrimen inter haec duo - adimere sibi vitam - dare vitam suam. Qui *adimit sibi vitam*, is seipsum interficit: qui *dat vitam suam*, is ab alio interficitur, ipso quidem non resistente seu impedimentum non apponente, cum tamen impedimentum apponere non teneatur: scilicet, ipso permittente mortem propriam.

« Ratio autem est, ut sapienter disserit de Lugo (1), quia homo non tenetur tantam curam adhibere ad vitanda mortis pericula et procurandam vitam, ut difficultates omnes vincat. Sicut enim non tenetur mediis exquisitis uti ad eum finem, sed ordinariis et communibus, ita non tenetur occasiones fugere cum tanto dispendio: quia iam tunc illa non essent media ordinaria et facilia, sed difficilia, nempe procurare vitam cum dispendio gravi boni publici vel salutis animarum. » — Hic autem non omittam hanc aliam ex eodem de Lugo (2) animadversionem: « Aliquando periculum provenit ex causis *naturalibus* et *mere necessariis,* aliquando vero ex causis *liberis.* In primo casu obligatio est maior. Si v. g. inundatio fluminis vel maris, aut incendium ad te appropinquat, non potes illud exspectare, sed debes fugere, ne te comprehendat. Similiter, si fera ad te venit, cui non potes resistere, si fames te premit et in periculum vitae coniicit, debes his periculis per ordinaria media occurrere (3). In secundo autem casu non est tanta obligatio: v. g. si scis aliquem te ad necem quaerere, si aliquis tibi ignem applicat, ut comburat, non teneris semper fugere, sed potes ex causa gravi patienter mortem ab alio illatam vel inferendam exspectare. Ratio differentiae inter utrumque casum haec

---

(1) Op. et l. cit. num. 37.

(2) Op. et l. cit. num. 29.

(3) Cf. eumdem auctorem, op. et l. cit. num. 28., ubi docet, eum peccare contra obligationem conservandi vitam, qui « videns leonem furiosum ad ipsum devorandum venire, et potens facile declinare et fugere, velit immobilis exspectare: vel videns incendium iam iam ad ipsum appropinquare nolit loco moveri, sed flammam exspectare. Licet enim tunc positive non se proiiciat in ignem, vel leoni se devorandum obiiciat; ipsum tamen non fugere et declinare modo ordinario et facili mortem advenientem, est contra obligationem communem tuendi propriam vitam. »

videtur esse, quod in primo casu, qui vult causam necessariam, videtur velle effectum ipsum, cum causa naturalis et necessaria determinata sit ex se et non operetur cum indifferentia: quare tunc homo videtur auctor esse suae mortis, cum velit eam complexionem causarum, ex qua necessario mors oritur, vel certe non vult illam impedire, cum facile possit. In secundo autem casu cum interveniat causa libera, ex qua contingenter sequitur effectus, non est necesse, quod velit effectum, qui non fugit illam causam, sed solum permissive se habet respectu illius, sicut Deus respectu peccati, quod indifferenter et libere procedit ex voluntate creata in talibus circumstantiis. Unde homo tunc non est auctor suae mortis, sed ille alius, qui libere illam vult et procurat, a quo hic alius proprie occiditur non a seipso. »

Scilicet, effectus malus (hac in quaestione, *mors propria*), qui ex actione consequitur, non semper est imputabilis illi, qui actionem seu causam posuit, sed tunc tantummodo, quando potest ac debet censeri *voluntarius et liber saltem in alio* seu *in causa:* si censeri potest *permissus* (ut in exemplis, quae ab initio afferebamus, *militis* et *sacerdotis,* aliisque pluribus in casibus locum habet), non est agenti imputabilis (1).

Hanc thesim ita cum s. Augustino (2) concludimus: « Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipse incipiat habere gravissimum proprium, quem non pol-

---

(1) Cf. ea, quae de voluntario *in se* et voluntario *in causa,* deque *permissivo* diximus super. vol. 1. thes XIII. pag. 114. seqq. — Item cf. vol. 1. thes. XXVI. de imputabilitate, praesertim schol.

(2) De civ. Dei, l. 1. cap. 26.

luebat alienum: neminem propter sua peccata praeterita, propter quae magis hac vita opus est, ut possint poenitendo sanari: neminem velut desiderio vitae melioris, quae post mortem speratur, quia reos suae mortis melior post mortem vita non suscipit »: neminem peccatum devitandi causa, ne ad declinandum incertum de futuro perpetret certum de praesenti peccatum.

ARTICULUS III.

De officiis hominis erga alios.

67. « *Declina a malo et fac bonum* (1). Noli tibi putare, sufficere si non exspolies vestitum. Non exspoliando enim vestitum declinasti a malo: sed noli arescere et sterilis esse. Sic noli exspoliare vestitum, ut vestias nudum. Hoc est enim declinare a malo et facere bonum. » Quae praeclara sunt s. Augustini (2) verba. Hisce autem verbis docemur, ad haec duo nos erga proximum ex naturali lege teneri, — *primo*, ad eum non laedendum in bonis *suis*, v. g. in divitiis, quarum ipse dominium proprietatis habet, — *secundo*, ad eum iuvandum ex bonis *nostris*, v. g. ex divitiis, quas nos possidemus ipse vero caret, eas illi ultro communicando. Utriusque generis officia sunt *naturalia:* siquidem nobis ab ipsa etiam naturali lege imponuntur (3). Quamvis autem in hoc aeque

---

(1) Psalm. XXXVI. 27.

(2) Serm. III. in psalm. cit. — Vide super. vol. I. thes. XXXVIII. pag. 319.

(3) Vide super. thes. III. p. 43.

conveniant, quod sint naturalia, aliis tamen ex capitibus inter se differunt.

68. Prioris enim generis debita sunt officia *iustitiae* seu officia *iuridica*, i. e. respondentia vero iuri in proximo existenti: alterius autem generis debita sunt officia *humanitatis* et *beneficentiae* seu officia *pure moralia* (1). Qui prioris generis officia violat, is alteri veram *iniuriam* infert estque *iniustus*, v. g. qui pecuniam a proximo aufert: qui autem violat alterius generis officia, is proximi *offensam* incurrit estque *inhumanus*, v. g. qui pauperi stipem roganti pecuniam duriter negat (2). Qui prioris generis officia violat, is onere tenetur *restitutionis*: non item, per se loquendo, qui violat alterius generis officia (3).

69. Rursus, prioris generis officia sunt *negativa*, alia vero sunt *affirmativa* (4). Hoc autem discriminis, ut pluribus locis iam diximus (5), intercedit inter negativa et affirmativa, quod illa magis quam haec sint universalia, idque dupliciter — quoad *tempora*, quia urgent semper et ad semper — quoad *personas*, quia obligant quemlibet et in ordine ad quemlibet. « Nulli hominum, ait s. Thomas (6), est nocendum, non autem sufficientes sumus, ut unus homo possit omnibus servire, » v. g. omnibus egenis ex propria pecunia opitulari.

---

(1) Cf. quae de hac officiorum divisione diximus supra eadem thes. III. pag. 45.

(2) Vide quae de conceptu *iniuriae* et *offensae* diximus super. thes. II. schol. pag. 39. seqq.

(3) Vide super. loc. nunc cit. pag. 40.; item thes. VII., praesertim pag. 89.

(4) Cf. super. thes. III. pag. 46.

(5) Loc. nunc. cit. pag. 47.: item super. vol. 1. pag. 289.

(6) Comm. in ep. ad Rom. cap. XIII. lect. 2.

70. En igitur facilis et clarus ordo, quem in hoc articulo sequemur. Agemus — *primo*, de officio non nocendi proximo in bonis suis — *secundo*, de officio subveniendi proximo ex bonis nostris.

§. 1. De officio non laedendi proximum in bonis suis.

71. Multa sunt bona, quae homo possidet et possidendo amat ut *sua* (1), cavetque ne amittat et si amittit tristatur, nominatim vero haec tria: videlicet, bona vitae et corporis, divitiae, bona famae et honoris. Quare hac in paragrapho de tribus hisce est nobis accurate agendum, nempe de proximo non exspoliando — bonis vitae et corporis — divitiis — bonis famae et honoris.

α) De non laedendo proximo in bonis vitae et corporis.

Thesis XXII.

I. *Occisio alterius facta ex privata auctoritate et extra casum necessariae defensionis contra iniustum aggressorem, est certe illicita.* II. *In casu autem necessariae defensionis contra iniustum vitae aggressorem, licitum sane est, etiam cum ipsius nece, propriam tueri vitam, servato tamen moderamine inculpatae tutelae.*

72. Demonstratio. In thesi praecedente egimus de occisione *suiipsius:* hac in thesi agimus de occisione *alterius.*

---

(1) Cf. super. thes. III. pag. 45. adnot. 1.

Est aliqua occisio alterius, quam omnes reprobant ut iniustam, v. g. pacifici viatoris occisio a latrone facta ad eius pecuniam abripiendam: est aliqua occisio alterius, quam omnes sapientes (1) admittunt iustam esse ac licitam, v. g. parricidae occisio ex regis auctoritate in poenam perpetrati criminis. Quare iuxta sensum communem occisio alterius dividitur in *iniustam* et *iustam*. Hinc oritur quaestio: unde constet quaenam occisio alterius sit illicita, quaenam vero licita?

Ad quam solvendam quaestionem adverte, occisionem alterius *voluntariam* (2) duplici pacto fieri posse, nempe auctoritate *publica* et auctoritate *privata* (3). De occisione alterius ex publica auctoritate facta non est hoc loco agendum, sed tantummodo de occisione alterius facta ex privata auctoritate. — Haec autem potest rursus dupliciter fieri, videlicet *extra casum* et *in casu* necessariae defensionis contra iniustum aggressorem.

I. *Occisio alterius facta ex privata auctoritate et extra casum necessariae defensionis contra iniustum aggressorem, certe est illicita.* — Haec assertio facile patet: supponitur enim, occidi alterum absque necessitate defensionis boni

---

(1) De sapientibus loquimur, iudicium sapientium inquirimus. Etenim « iudicium de bonis humanis, inquit s. Thomas, 1. 2. q. 2. a. 1., non debet sumi a stultis, sed a sapientibus: sicut et iudicium de saporibus ab his, qui habent gustum bene moderatum. »

(2) Homicidium dividitur in *voluntarium* et *casuale*. Loquimur autem in hac thesi de homicidio voluntario et libero, non de homicidio mere ac prorsus casuali. Cf. s. Thomam, 2. 2. q. 64. a. 8.

(3) Nil dicimus de occisione alterius, etiam *innocentis*, facta *ex mandato Dei:* ea, ut patet, est iusta. « Deus habet dominium mortis et vitae: eius enim ordinatione moriuntur et peccatores et iusti. Et ideo ille, qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat, sicut nec ipse Deus, cuius est executor: et ostenditur Deum timere, eius mandatis obediens. » Ita s. Thomas, 2. 2. q. 64. art. 6. ad 1m.

alicuius, quod nostrum sit et alter ille a nobis abripere conetur. Talis occisio est manifeste iniuria, eaque triplex, in illum qui occiditur, in communitatem cuius ille qui occiditur est membrum, in Deum.

Est 1°.) *iniuria in illum qui occiditur.* Est enim laesio seu violatio iuris, quod, ut est omnino manifestum, quilibet homo a Deo habet, utendi ac fruendi sua vita suisque potentiis. Sane homo, quamvis a Deo non acceperit dominium perfectum seu arbitrium plenum in suam vitam ita ut possit de ea pro lubito disponere eamque destruere, accepit tamen a Deo illud in eam dominium (ac proinde *ius*) quod *utile* vocatur (1): vita, ut dixit Lucretius (2), « *mancipio* nulli datur, omnibus *usu.* » Atqui laesio vel violatio dominii seu iuris alieni est iniuria (3). — Est 2°.) *iniuria in communitatem, cuius ille qui occiditur est membrum.* Communitas enim, domestica praesertim ac civilis, habet ius, ne utilia, quibus constat, membra ab ea abscindantur; quod est contra eius integritatem, securitatem ac prosperitatem. — Est 3°.) *iniuria in Deum.* « Qui alienum servum interficit, peccat in dominum, cuius est servus: » quae sunt s. Thomae verba paulo ante allata (4).

---

(1) De dominio perfecto et imperfecto deque dominii imperfecti divisionibus agemus paulo inferius: diximus aliquid superius thes. II. pag. 34.

(2) L. III. 985. -- Haec verba Lucretius in alium finem dixit: ea tamen in rem nostram aptare possumus. — Dare aliquid *mancipio* significat dare ipsam rei proprietatem, non tantummodo usum. Antiqui enim manu capiebant seu prehendebant rem, cuius dominium sibi comparare volebant.

(3) De iniuria diximus super. thes. II. schol. pag. 39.

(4) In thesi praeced. de suicidio. — Idem s. Doctor, in opusc. IV., ait occisionem alterius « esse etiam *contra naturam:* quia, ut dicitur Eccl. XIII. 19., *omne animal diligit simile sibi:* unde Exod. XXI. 12.,

Breviter et apte Becanus (1): « Quilibet homo ratione suae libertatis, per se loquendo, habet ius conservandi suam vitam et utendi suis potentiis. Hoc autem ius violatur per occisionem. Ergo qui occidit hominem facit illi iniuriam, et peccat contra iustitiam commutativam. Idem dici potest de Republica et Deo, qui habent etiam ius ad vitam singulorum subditorum. Unde non solum fit iniuria homini qui occiditur, sed etiam Deo et Reipublicae. »

Illud insuper animadverte, hoc tantum crimen, quod est occisio alterius, perpetrari, non ab eo solum, qui est causa *physica*, sed etiam ab eo, qui est causa *moralis* (2) homicidii, v. gr. ab eo qui alicui dat efficax consilium illumque impellit ad alterum necandum. — Qua de re nota sunt s. Augustini (3) verba, quibus de Christi Domini morte loquens urget Iudaeos: « Si reus (Pilatus), quia fecit vel invitus; illi innocentes, qui coegerunt ut faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam

---

qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Et hic quidem crudelior est lupo, de quo dicitur in 4. Anim. quod si lupo detur caro lupi non comedit. »

(1) De iure et iust. cap. LXIV. quaest. II. n. 2. — Ut clare vides, quemadmodum occisio *sui*, ita occisio *alterius* triplici ex capite probatur esse mala, nimirum respectu illius qui occiditur, respectu communitatis a qua membrum abscinditur, respectu Dei cui servus subtrahitur. In hoc est discrimen quod occisio proximi, cum sit ad alterum, est vera iniuria in eum qui occiditur, non ita suicidium, quod tamen semper est contra naturalem inclinationem et caritatem qua quisque seipsum diligere tenetur.

(2) De distinctione causae in *physicam* et *moralem* diximus super. vol. 1. thes. XVII. p. 150. Cf. etiam vol. 1. thes. XXVI. p. 217. seqq.

(3) In Psalm. LXIII. — Cf. s. Thomam, opusc. cit., ubi ait, « quod hominem occidere contingit multipliciter, *manu, ore, adiutorio, consensu:* » singula vero explicat.

et iussit eum crucifigi et quasi ipse occidit, et vos, o Iudaei, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguae: acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis, *crucifige, crucifige?* »

II. *In casu autem necessariae defensionis contra iniustum vitae ipsius aggressorem, licitum sane est, etiam cum ipsius nece, propriam tueri vitam, servato tamen moderamine inculpatae tutelae.* — Ut alterius huius assertionis veritas clare pateat, *primo* exponemus statum quaestionis, *secundo* argumenta quibus assertio demonstratur afferemus, *tertio* praecipuas solvemus obiectiones.

1°.) Ad statum quaestionis quod spectat, nota α) sermonem esse de *iniusto vitae aggressore.* Aggressor vitae *iniustus* est ille, qui ius non habet impetendi vitam alterius. Iniustus autem potest esse dupliciter, nempe vel *tantum materialiter* vel *etiam formaliter.* Iamvero nos proprie loquimur de aggressore iniusto *formaliter*, cuius nempe aggressio sit actus *humanus* voluntarius et liber, non autem actus solummodo *hominis,* ut contingeret in delirante vel amente, cuius scilicet actus in occidendo alterum foret iniuria non formalis, sed tantummodo materialis (1). — Dicitur β) contra talem aggressorem *licere* propriam tueri vitam, etiam cum ipsius nece: nempe potestatem moralem seu ius cuique inesse ad id faciendum. Non tamen *per se loquendo* datur obligatio id faciendi, sed potest quis non se defendere, et potius quam inferre tolerare mortem, ne aggressorem perimat eumque exponat aeternae damnationi: qui foret actus *dandi vitam suam*

(1) Cf. super. thes. II. pag. 40. — Adverte cum Vasquez, de restit. cap. II. §. 1. dub. 7. num. 21.: « Non opus est, ut aggressus prius sit offensus, vel aliquam receperit iniuriam aut laesionem ab invasore, sed sufficit quod videat inimicum accedentem cum armis, paratum ipsum aggredi et occidere aut mutilare. »

eamque dandi pro inimico, actus scilicet eximiae in proximum caritatis (1). Dixi, *per se loquendo*. Nam fieri potest, ut qualitas personae, cuius vita impetitur, aliud exigat, ut si invasus esset persona publica ad bonum publicum valde necessaria (2). — Ea γ) adduntur verba, *servato moderamine inculpatae tutelae* (3). Scilicet, debet fieri solum id, quod necessarium est ad propriam mortem impediendam. Hinc non licet interficere aggressorem, si potest mors propria impediri eum vulnerando: non licet vulnerare, si aliter mors propria impediri potest.

2°.) Sic statu quaestionis explicato, ad argumenta veniamus. — Homo vere habet, eo quem diximus sensu, ius ad vitam. Sed ius *vi pollet coactiva*. Ergo homo, cuius vitam alter iniuste aggreditur, α) potest vim vi repellere ad propriam vitam servandam, et in hac vi contra iniustum aggressorem adhibenda β) potest etiam damnum, si id necesse sit, illi inferre: haec enim duo intelliguntur cum dicitur, ius *vi pollere coactiva* (4). — Esto, inquies,

---

(1) Cf. de Lugo, de iust. et iure disp. X. sect. 6. num. 153. et 154. — Dices: nonne teneor adhibere media ad conservandam vitam? Respondeo cum eodem auctore, l. nunc cit.: « Licet teneamur *nos non occidere* et *conservare etiam vitam per media ordinaria* (en duplex obligatio, altera *negativa*, altera *positiva*), non tamen obligamur ad utendum mediis *exquisitis* vel *multum difficilibus* ad hunc finem (qua de re diximus in thesi de *suicidio*). Est autem medium valde difficile occidere meum proximum, praesertim in statu peccati. Unde sicut possum exponere me mortis periculo ut inserviam peste infectis, *a fortiori* potero mortem tolerare, ne proximum positive occidam et in aeternum perdam. »

(2) Idem auctor, ibid. num. 138., alium considerat casum, « quando aggressor talis esset, cuius vita necessaria valde esset ad bonum publicum. »

(3) Haec verba explicavimus etiam super. thes. VII. pag. 86.

(4) Haec omnia iam declaravimus ac demonstravimus in thes. VII., in qua de *vi iuris coactiva* egimus.

possit iniusto aggressori inferri damnum. Hoc quidem iam probatum est, et facile conceditur. Verum, potestne hoc inferri tale tantumque damnum, quod est ablatio vitae? Respondeo, quod certe potest inferri tunc, quum agitur de iniusto *vitae ipsius* aggressore: certe in hoc casu, quando ab alio iniuste *ipsa vita* in discrimen adducitur, potestas, qua lex naturalis quemlibet armat in proprii iuris defensionem, se se protendit ad ipsam iniusti aggressoris necem. — Cuius rei haec est ratio, quia α) in eo casu proportio certe adest inter bonum, cuius possessio defenditur, et damnum, quod alteri infertur, et quia β) in eo casu damnum alteri illatum non est iniustitia neque iniuria. Quod adsit *primum*, nempe proportio, patet. Ex utraque enim parte agitur de vita. Quod adsit *secundum*, etiam patet. Non enim quodvis damnum seu nocumentum alteri illatum est ex parte inferentis iniustitia et ex parte patientis iniuria, sed illud tantummodo damnum illudve nocumentum, quod est laesio iuris alieni (1). Atqui occisio iniusti vitae aggressoris non est laesio iuris alieni. Nam esset laesio iuris alieni, si iniustus aggressor haberet ius ad vitam. Sed non habet: scilicet ius ad vitam, re quidem *absolute* considerata, i. e. *seorsum ab adiuncto iniustae aggressionis*, viget ex utraque parte, tum illius cuius vita impetitur, tum illius qui vitam impetit: sed re inspecta *relative*, i. e. *dependenter ab adiuncto iniustae aggressionis*, non viget nisi ex una parte. Ex qua autem parte? Ex parte innocentis: non certe ex parte iniusti aggressoris, qui causa est et quidem iniusta huius conflictus, in quo alteruter vitam amittat necesse est (2).

---

(1) Vide super. thes. II. pag. 41., ubi diximus de discrimine inter haec tria: *nocumentum, damnum, iniuriam.*

(2) Recolenda hic est tota thesis VI., de iurium conflictu seu

Sed iam Angelicum Doctorem hanc thesim probantem audiamus (1): « Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id, quod intenditur, non autem ab eo, quod est praeter intentionem, cum sit per accidens. Ex actu ergo alicuius seipsum defendentis duplex effectus sequi potest: unus quidem conservatio propriae vitae, alius autem occisio invadentis. Actus ergo humanus, ex hoc quod intenditur conservatio propriae vitae, non habet rationem illiciti: cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet in esse, qnantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur maiori violentia, quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio: nam secundum iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius,

---

collisione. — Iuverit haec verba addere ex Vasquesio, op. et l. cit. dub. 6. num. 15.: « Alias ius ipsum naturale quodammodo faciliora faceret hominum iniquorum facinora, quibus iure naturae non posset obviari. » Hoc iam super. thes. VII. pag. 85. animadvertebamus cum de Lugo aliisque.

(1) In 2. 2. q. 64. a. 7. — Scilicet, quando actio est *bona* moraliter vel saltem indifferens, et ex ea effectus aliquis malus sequitur, iicitum aliquando est actionem illam ponere, non obstante effectu illo malo, qui ex ea consequitur, si scilicet effectus ille malus possit censeri mere *permissus* ab eo qui eam actionem ponit. Atqui in hac, de qua agimus, quaestione effectus malus, i. e. mors alterius, censeri potest *permissus* ab eo, qui propriam defendit vitam: conditiones *permissivi* (iam alio loco, vol. 1. thes. XIII. pag. 117., explicatae) in casu hoc verificantur, ut clare exponit Doctor angelicus.

quia plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae. Sed quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate propter bonum commune, illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, et in ministro iudicis pugnante contra latrones: quamvis etiam isti peccent, si privata libidine moveantur. »

3°. Restat, ut praecipuas obiectiones solvamus. — Dicunt α) neminem posse seipsum salvare cum damno vel incommodo proximi. — *Distinguo*.... si damnum proximo inferendo, faciat illi iniuriam *conc.*, si non faciat illi iniuriam *nego*. « Homo privatus, ut recte ait Becanus (1), qui ex caritate diligit se et proximum suum, potest secundum ordinem caritatis praeferre se proximo: ut si occurrat casus, in quo vel ipse vel proximus debeat pati aliquod damnum vel incommodum, potest salva caritate seipsum salvare cum damno vel incommodo proximi, *modo non faciat illi iniuriam*. » Atqui innocens, cuius vita iniuste impetitur, non irrogat, ut iam declaravimus, iniuriam aggressori, mortem ei inferendo.

Aiunt β) non licere malum facere, ut veniat bonum. — *Distinguo*: non est perpetrandum malum *morale* ut veniat bonum *conc.*, non est inferendum alteri malum *physicum* vel damnum *subd.*, si damnum sit iniuria in proximum *conc.*, si non sit iniuria in proximum *it. dist.*, non licet *inferre* damnum *nego*, damnum debet non *intendi* sed potius *permitti conc.* Haec videtur esse mens

(1) Manuale controv. l. IV. c. 4.

s. Thomae (1) in iis, quae iam attulimus, verbis: « Illicitum est quod homo *intendat* occidere hominem ut seipsum defendat: » debet potius *permissive* se habere ad damnum, quod alteri infert, non autem illud intendere, ne *propter aliud* quidem.

Obiiciunt γ) illud Apostoli (2): « Non vos defendentes, carissimi. » — Respondet s. Thomas (3), « quod ibi prohibetur defensio, quae est cum livore vindictae, » nempe cum quis quiescit in malo proximi ac de eo delectatur, illud *propter se* intendendo. Qua de re iuvat cum de Lugo (4) animadvertere: « Licet invasus occideret iniustum invadentem ex odio vel affectu vindictae, peccaturum quidem contra *caritatem*, non tamen contra *iustitiam*, atque ideo non teneri ad restitutionem. »

Dicunt δ) salutem aeternam proximi esse praeferendam vitae temporali propriae: ergo cum iniustus invasor sit in statu peccati ratione aggressionis actualis iniustae, ille, qui invaditur, debet, saltem ex caritate, mortem iniustam tolerare, potius quam eum aeternae damnationi exponere, ipsum occidendo. — Respondeo, principium illud, ex quo arguitur, esse verum, *quando proximus est in extrema necessitate.* Atqui invasor non est in extrema necessitate, imo ne in gravi quidem necessitate, cum possit sibi consulere, non me invadendo iniuste, aut cessando ab aggressione. Praeclare De Lugo (5): « Obligatio

---

(1) Lege tamen de Lugo, op. et l. cit. disp. X. sect. VI. n. 148. seqq. Item cf. Vasquez, op. et l. cit. num. 16. — Recole ea, quae super. diximus thes. VII. schol. pag. 96.

(2) Ad Rom. XII. 19. Vide super. thes. VII. pag. 94. adnot. 1.

(3) Loc. nunc cit. ad 5m. Cf. etiam Becanum, de iure et iust. c. 54. q. 6. num. 4.: Vasquez, op. et l. cit. num. 19.

(4) Op. et l. cit. sect. VI. num. 138.

(5) Ibid. num. 142. — Ad rem facit sententia Isocratis adversus

caritatis ad procurandam salutem aeternam proximi non est universalis, *nisi in casu extremae necessitatis:* ad necessitatem autem requiritur, quod proximus nostro auxilio indigeat. Cum ergo invasor iniustus non indigeat mea ope (ipse enim potest facile sibi consulere, non me invadendo iniuste), non censetur esse in necessitate gravi, nedum extrema. Quare cessat omnino obligatio subveniendi: quia haec solum est respectu indigentis, ille vero, qui potest se salvare, non indiget, ut constat. Sic etiam si aliquis habens, quo cibos sibi comparet, nolit expendere, et fame moriatur, non obligor ex caritate ad dandum ei ex meis pecuniis, ut emat, quia non indiget: caritas autem non obligat cum eo rigore erga omnes proximos, sed erga vere indigentes. Ratio a priori est, quia haec obligatio fundatur in illo naturali praecepto, *diliges proximum, sicut teipsum*, seu, *quod tibi vis fieri, fac aliis.* Hoc autem intelligitur de iis, quae *rationabiliter* volumus et desideramus ab aliis. Nemo autem rationabiliter vult, ut, quando ipse propriis pecuniis potest suae necessitati subvenire, adiuvetur ab aliis. Sic etiam nemo *rationabiliter* desiderat, quod dum potest facile suae saluti consulere, alium non invadendo iniuste, subveniatur ab aliis sinentibus se iniuste occidi, ut eius saluti consulatur. »

Paulo autem inferius idem auctor haec addit. « Si invasor iniuste quidem *materialiter* invadat, sed tamen *absque libertate*, ut si ebrius vel phreneticus te invadat, et aliunde constet, eum esse in statu peccati, a quo post phrenesim vel ebrietatem poterit resurgere, e contra vero moraliter credas, te esse in statu gratiae, non videtur

---

Callimachum: « Nonne absurdum est, istum in eo periculo a vobis petere misericordiam, quod penes ipsum est, et in quod se ipse coniecit, et quo etiam nunc liberari potest? »

posse licite a te occidi: quia tunc vere non potest proximus sibi consulere, et subvenire in illa extrema necessitate et periculo certo aeternae damnationis, nisi tu vitam propriam exponas pro eius remedio. Hic autem casus *rarissimus* erit, quod constet illum esse in statu peccati, ob quod in aeternum damnandus sit. »

Concludimus generalem quamdam regulam tradendo ex Becano (1). Hic cum praemisisset occisionem proximi esse aliam quidem licitam, aliam vero illicitam, quaerit « unde constet, quae occisio sit licita et quae illicita? » Sic autem respondet: « Constat ex hoc naturali principio, *quod quilibet homo habeat ius conservandi suam vitam et utendi suis potentiis*. Hinc enim sequitur occisionem hominis tunc esse illicitam, quando viget hoc ius et non superatur ab alio potentiori iure: contra vero tunc non esse illicitam, quando non viget illud, sed superatur ab alio praestantiori iure. » — Atqui extra casum necessariae defensionis contra iniustum aggressorem, ius proximi ad vitae conservationem viget ac stat: non viget in casu nécessariae defensionis contra iniustum vitae aggressorem. Ergo in altera quidem hypothesi est licita, in priori vero hypothesi est illicita occisio proximi.

73. Scholion. Itaque non modo legis divinae positivae, sed etiam legis divinae naturalis prohibitio est, *Non occides*. Haec autem legis divinae naturalis prohibitio debet intelligi et explicari hoc pacto, nempe: ne occidas *privata auctoritate* et insuper *extra casum necessariae defensionis contra iniustum vitae aggressorem*. — Dixi, *privata auctoritate*. Nam, ut s. Augustinus (2) ait, « nequaquam contra hoc praeceptum fecerunt, quo dictum est,

---

(1) Op. et l. nunc cit. q. 2. num. 4.
(2) De civ. Dei l. 1. c. 21.

Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicae potestatis secundum eius leges, hoc est, iustissimae rationis imperium, sceleratos morte punierunt. » — Addidi, *extra casum necessariae defensionis contra iniustum vitae aggressorem*. Nam etsi non desint qui affirment eum, qui in eo casu iniustum vitae aggressorem occidit, occidere auctoritate non privata sed publica (1): tamen, hoc ab auctoribus communius negatur, idque fieri auctoritate *privata* asseritur. Et recte quidem. Innocens enim, cuius vita impetitur, non occidit ut iudex vel princeps repraesentans rempublicam vel publico nomine seu ut est custos boni publici, sed eo iure quod quisque habet, ut est custos rei suae; quo iure noxia retundere et vim vi repellere potest, quo etiam omnia animantia utuntur (2).

Quaeres autem 1°.) utrum iis verbis, *non occides*, prohibeatur solummodo occisio proximi? — Scilicet prohibetur *primario* seu *praecipue* homicidium, non autem *tantummodo*, sed etiam mutilatio, vulneratio, verberatio (3), paucis, iniuria quaevis in vitam et personam proximi. Quin imo, ut animadvertit s. Thomas (4), Christus Dominus hoc explicans praeceptum (5), « non solum docuit nos cavere ab homicidio, sed ab *ira*. Bonus

---

(1) Haec videtur esse sententia Vasquesii, tract. de restitut. cap. II. §. 1. dub. 6. num. 18., aientis: « qui occidit in defensionem, ut publica persona ad id iure naturali destinata occidit. »

(2) Cf. Becanum, de iure et iust. cap. LXIV. q. 6. num. 6.; de Lugo, op. et l. saep. cit. sect. 6. num. 141.

(3) De his lege s. Thomam, 2. 2. q. 65.

(4) Opusc. IV. de dec. praec. Ibi de passione *irae* praeclare agitur. Cf. ea, quae de *passionibus* diximus supra vol. 1. cap. VI. art. 1.

(5) Matth. V. 22.

enim medicus non tantum tollit malum, quod apparet, sed etiam radicem removet infirmitatis, ne scilicet recidivet. Et ideo vult nos abstinere a principiis peccatorum, et ita ab *ira*, quae est principium homicidii. »

Quaeres 2°.) an liceat defendere bona fortunae *magni momenti* cum occisione furis, si *ea aliter retineri non possint?* — Respondeo cum Gury (1): « Affirmative, saltem probabilius.... Quisque enim ius habet conservandi bona magni pro conditione sua momenti, et eo ipso adhibendi media absolute ad id necessaria. Aliunde praeceptum caritatis non obligat, ut quis praeferat bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quando proximus in extrema necessitate versetur; secus vero quando sponte hic mortis periculo se exponit. » Praeter alias rationes de Lugo (2) hanc etiam affert: « Plus excedit vita spiritualis aggressoris vitam temporalem tuam, quam eius vita temporalis bona externa tua. Si ergo potes defendere vitam corporalem propriam cum dispendio salutis aeternae iniusti aggressoris, a fortiori potes defendere facultates tuas cum dispendio vitae corporalis eiusdem aggressoris. » Verum, ut pergit idem auctor (3), « circa hanc *communem* doctrinam duo advertenda sunt. *Primum* est, ad licitam occisionem furis requiri, quod res non putetur aliter posse recuperari, vel certe nonnisi difficile cum magnis sumptibus et dispendiis, vel denique dubium sit de recuperatione: aliter non habes ius occidendi, cum desit necessitas talis medii ad res tuas liberandas. *Secundo,* advertunt Doctores communiter, non pro quacumque re licere occidere hominem; indignum quippe

---

(1) Comp. th. mor. vol. 1. num. 397. Cf. de Lugo, op. cit. disp. X. sect. 9.

(2) Loc. nunc cit. num. 175.

(3) Op. et num. nunc cit.

esset pro uno nummo argenteo hominem perimere (1); sed debere esse pro re magni valoris. »

Quaeres 3°.) an liceat tueri integritatem membrorum cum occisione iniusti aggressoris? — Respondeo affirmative cum communi sententia contra paucos. « Ratio est, inquit Gury (2), quia quisque ius habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitae alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur. » Adde, sciri vix posse, utrum necne mutilatio membri, praesertim e praecipuis, post se trahat periculum mortis. Insuper bonum integritatis membrorum (idemque dic de bono pudicitiae) est praestantius bonis fortunae: si ergo licet haec, a fortiori licebit illud defendere, etiam cum occisione, si id necesse sit, iniusti aggressoris.

Quaeres 4°.) an liceat etiam tueri honorem cum occisione invasoris? — Ut ex s. Alphonso (3) notat Ballerini (4), distingui debet, *verbisne* tantum an etiam *factis* invasio honoris fiat. Nam α) si de *verbis* agatur, et v. g. viro honorato contumeliose dicatur, *mentiris*, aliter repelli iniuria potest, debet et solet: et percussio aut vulneratio non defensionis sed vindictae rationem haberet (idque non modo extra duellum, sed etiam, immo multo magis in duello). Si vero β) *factis* honor impetatur, aliter iudicandum est *de re post factum;* aliter *ante factum.* Laesio enim post factum, nisi agatur de correptione cum pueris et aliis huiusmodi adhibenda, ultio esset non autem defensio (idque rursus non modo extra duellum, sed etiam, immo a fortiori in duello). Si vero res de

(1) Vide super. thes. VII. pag. 86. et 87., praesertim adnot. 1m.
(2) Loc. et num. nunc cit.
(3) Theol. mor. lib. 3. n. 387. et 391.
(4) In adnot. ad num. 388. tom. 1. theol. mor. p. Gury.

illo sit, qui factis honorem laedere conatur, nemini imponi potest obligatio passive se habendi, dum alter in contemptum conetur, v. g. ei vellicare barbam, aut impingere alapam, aut vestes conspurcare etc.: sed licebit ei sane, servato moderamine inculpatae tutelae, iniuriam propulsare; et si quidem pervicax aggressor ad praestitutam iniuriam inferendam vim adhibeat, ac repulsus etiam arma arripiat, et armis arma opponere.

Quaeres 5°.) an liceat defendere proximum innocentem cum occisione aggressoris? — Respondeo affirmative. in omni casu, quo licet semetipsum defendere, idque ratione caritatis. Raro tamen privatus ad hoc teneri videtur. Caritatis scilicet praeceptum non obligat cum gravi incommodo: in occisione autem alterius vix umquam evitari potest magnum incommodum ob timorem inimicitiarum, publicae iustitiae etc. (1).

Itaque, ut paucis omnia complectamur, illicitum sane est privata auctoritate occidere illum, qui non sit iniustus bonorum nostrorum aggressor. Nec semper licet occidere iniustum bonorum aggressorem, sed quando agitur — de ipsa vita — de bonis ad vitam necessariis — de bonis, quorum iactura grave afferret damnum, seu in gravem necessitatem spoliatum deiiceret, idque *servato semper moderamine inculpatae tutelae* (2). Immo illud, quod est licitum, non est proprie loquendo *ipsa occisio aggressoris iniusti*, sed *defensio suiipsius innocentis*, i. e. sua tueri bona, quae alter iniuste impetit.

---

(1) Ita p. Gury, op. et l. nunc cit. num. 396. — Cf. super. thes. VII. pag. 87.

(2) Cf. Tongiorgi, Eth. partic. num. 368. — Pro hac thesi cf. etiam s. Augustinum, de lib. arb. l. 1. cap. 6., in quo de occisione hominis vim afferentis agit. Ut autem recte mentem s. Augustini assequaris, cf. ea, quae s. Thomas habet l. saep. cit.

Thesis XXIII.

Duellum ex privata auctoritate et privata causa, nominatim vero honoris causa, susceptum ipso est iure naturae vetitum.

74. Praenotiones. Gravissima haec, quam aggredimur, quaestio de *duello* non poterat recte clareque pertractari, nisi hoc loco, scilicet post solutas duas alias, quibuscum intime cohaeret, quaestiones de occisione *sui* deque occisione *alterius*. Illud ante omnia inquiramus — quid sit duellum — et quotuplici modo fieri duellum potest.

Duellum, si etymon spectes, idem est ac bellum (1): bellum autem sic potest breviter definiri, unius populi seu civitatis unius contra alterum populum seu civitatem alteram pugna vel colluctatio ad iniuriam impediendam ne fiat aut ad iniuriam illatam vindicandam. — Usus tamen fert, ut nomine duelli intelligatur singulare duorum vel paucorum hominum inter se certamen, uno verbo, monomachia.

Singulare huiusmodi certamen fieri tripliciter potest: — α) auctoritate *publica* et ob causam seu bonum *publicum:* — β) auctoritate *publica* et ob causam *privatam:* — γ) auctoritate *privata* et ob causam *privatam* (2).

α) De duello ex auctoritate *publica* et ob causam *publicam* suscepto non est hoc loco agendum. Quare satis

---

(1) Veteres enim *du* ponebant pro *b*. Sic legitur *duonum* pro bonum et *duis* pro *bis*. — Notus est ille Horatii versus: « Graecia barbariae lento collisa duello. »

(2) Cf. Gerdil, traité des combats singuliers chap. 5.

erit pauca animadvertere. — *Primo*, si rex iustum gerens bellum adversus alterum regem videat se adversario inferiorem esse neque posse aliter se defendere, licite ac prudenter iis in adiunctis poterit commutare bellum in duellum seu certamen paucorum militum cum paucis hostibus vel ipsius principis cum principe adversario (1). Iis, inquam, in adiunctis licite ac prudenter aget: siquidem extra illa vel similia adiuncta hic bellandi modus opponeretur naturali prudentiae, quae dictat, incolumitatem totius reipublicae committendam non esse peritiae unius vel alterius, seu fortunae. — *Secundo*, in bello iusto milites possunt ex consensu ducis duellum ab adversariis oblatum acceptare, tunc praesertim, ut notat de Lugo (2), « cum id utile sit, ne proprii milites animo concidant vel adversarii insolescant propriae virtuti attribuentes duelli oblati recusationem, quod late prosequitur Moli-

---

(1) Cf. de Lugo, de iust. et iure disp. X. sect. 8. num. 173. Cf. etiam Vasquez, op. et l. cit. dub. 9. — Hoc fecit Cyrus contra regem Assyriorum bellum gerens; scilicet, regem adversarium, ut refert Xenophon de Inst. Cyri l. V. num. 37., provocavit ad duellum. Sed, ut bene advertit Gerdil, op. cit. chap. 6., « d'un coté l'armée de Cyrus etait très inférieure en nombre; de l' autre, Cyrus élevé dès sa jeunesse dans l' exercice des armes, endurci à toutes les fatigues de la guerre, pouvait aisément se flatter d'avoir le dessus dans un combat singulier avec un prince amolli par le luxe, et les délices d'une vie toute voluptueuse. » Cyrus ergo prudenter egit, attentis iis, in quibus versabatur, adiunctis.

(2) Op. et l. nunc cit. — Historia sacra, I. Reg. XVII., nobis exhibet gigantem Goliath, qui armatus *procedebat mane et vespere* et offerebat Israelitis duellum: *eligite ex vobis virum et descendat ad singulare certamen*. Quae cum audirent Saul et Israelitae, *stupebant et metuebant nimis*. Surrexit David et *praevaluit adversus Philistaeum in funda et lapide. Videntes autem Philistiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt*. — Ex historia Romana celebre est Titi Manlii duellum cum milite Gallo, quod refert T. Livius l. VII. c. 10.

na (1). » — Quorum haec breviter est ratio: quia ex una parte ob laudabilem et iustam causam licet mortis periculis se se obiicere (2), ex alia autem parte occisio hostis facta ex auctoritate publica nomine civitatis iustum bellum gerentis non est illicita. Haec satis est innuisse de publicis hisce duellis, quae iam non amplius secundum hodiernum bellandi modum fiunt.

β) De duellis etiam ex *publica* auctoritate et ob *privatam* causam susceptis, non est cur hoc loco fuse agamus. Haec enim duella reduci tandem videntur ad certamina illa *iudiciaria* (3), quae olim quidem fiebant, nunc autem ab hodiernis moribus omnino recesserunt. Fiebant olim, ut ex eventu (quem eventum ad rei veritatem aperiendam *superstitiose* credebatur supremum ipsum Numen moderari: unde *iudicia Dei* vocabantur) clare innotesceret veritas alicuius facti, e. g. propriae innocentiae, seu iuris alicuius in dubium vocati existentia. Erant autem illicita ob hanc maxime causam, quia erant *superstitiosa*, erant *tentatio Dei*, qui scilicet non promisit nec tenetur tali modo innocentiam tueri aut veritatem manifestare. Quare

---

(1) De iust. disp. 17. num. 6. Cf. etiam Gerdil, op. cit. chap. 8.

(2) Vide super. thes. XXI. pag. 237. — Notentur illa verba *ob laudabilem et iustam causam:* iis enim exhibetur conditio necessaria, ut licite quis possit se obiicere periculis mortis.

(3) En breviter modus, quo iudiciaria haec duella fieri ut plurimum solebant. Iudex decernebat, locum esse certamini inter accusatum et accusatorem seu duos inter contendentes. Hi solemni iureiurando affirmabant, se non odio neque ultionis libidine motos conflictum inire, sed tantummodo veritatis et iustitiae amore, ad suum nempe ius manifestandum atque stabiliendum Hinc in certaminis locum descendebant, ubi iteratis vicibus se se mutuo redarguebant mendacii, ac demum, dato a praecone signo, pugnam inchoabant. Victor domum festivos inter populi clamores redibat: victus infamia ac varia pro diversitate casuum poena afficiebatur.

haec duella, aeque ac alia similia iudicia seu similes probationes e. g. ferri candentis vel aquae ferventis (1), Ecclesia numquam destitit reprobare: et his Ecclesiae condemnationibus praecipue debetur, si huiusmodi abusus, olim universales, a nostris moribus exsulaverint (2).

γ) Restat, ut de duellis ex *privata* auctoritate et ob *privatam* causam susceptis agamus. Duella haec non uno eodemque modo, non una eademque de causa fiunt. — Nam aliquando fiunt *absque* ullo praecedente condicto, aliquando autem fiunt *ex* praecedente condicto de armis testibus loco et tempore confligendi. Si 1ᵐ., tunc potius quam duellum, *rixa* habetur inita ex irae aestu, in continenti i. e. nulla mora interiecta, iisque quae hic et nunc in promptu habentur armis, ad acceptam iniuriam vindicandam. Est autem illicita, ut iam diximus (3), privata de acceptis iniuriis vindicta. Si 2ᵐ., tunc proprie habetur *monomachia* seu *duellum,* quod definiri sic solet: certamen plurium, communiter *duorum,* ex privata auctoritate et ob privatam causam susceptum, designatis antea ex condicto paribus armis ad vulnerandum et occidendum aptis, necnon testibus seu iudicibus, loco et tempore confligendi. De hoc duello sermo nobis est hac in thesi. — Hoc autem duellum plures ob causas seu diversa ob motiva fieri potest. E. g. fieri potest ad veritatis probationem (4), vel ad virium corporis peritiaeve in armis tractandis ostentationem. Nostris tamen diebus

---

(1) Cf. s. Thomam, 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3ᵐ.

(2) De his duellis iudiciariis cf. Gerdil, op. cit. chap. 9-11.

(3) Cf. super. thes. VII. praesertim pag. 93.

(4) De duello hac de causa suscepto illud valet, quod paulo ante diximus de duellis *iudicialibus*, cum quibus convenit, excepto quod auctoritate non publica sed privata fieret.

unice vel certe praecipue fit *honoris causa:* quare de duello hac de causa suscepto potissimum agemus (1).

75. Demonstratio. I. Argumentum praecipuum huc redit. Duellum est actus in se malus malitia suicidii simul et homicidii, prout homicidium a suicidio distinguitur. Ergo est ipso iure naturae vetitum. Probatur *antecedens.*

α) Duellum est actus quo quis se exponit periculo mortis, idque — 1°.) *absque rationabili et iusta causa:* neque enim profecto talis causa est causa ostentationis virium corporis vel propriae peritiae in armis tractandis, neque etiam causa honoris — 2°.) *ex condicto*: i. e. omnibus se exspoliando non communibus cum adversario defensionis offensionisque adminiculis, seu omnes ultro excludendo quoad locum tempus arma modumque pugnandi diversitates, quae faciliorem reddant felicem conflictus exitum, minusque dubiam de adversario victoriam. Atqui etiamsi homo esset propriae vitae dominus, tamen id facere foret aliquid irrationabile prorsus ac naturali prudentiae oppositum (2), omne vero dominium seu ius debet rationa-

---

(1) Vix opus est, ut ostendamus multiplex inter *duellum* ac *bellum* discrimen. — Duellum fit duos inter privatos, bellum duas inter civitates seu populos. — Duellum fit ex privata, bellum ex publica auctoritate. — Duellum fit ob privatam, bellum ob publicam causam. — Duellum fit ex condicto, bellum absque condicto: neque enim mutuo consensu praedeterminantur tempus locus arma modusque pugnandi, sed tantummodo initium hostilis duas inter civitates conditionis praedefinitur. Quare vehementer errant, qui affirmant bellum non differre a duello, nisi solo numero pugnantium.

(2) Agens de duello ex publica auctoritate et ob publicam causam suscepto, quod aliquando licitum esse diximus, haec animadvertit Gerdil, op. cit. chap. 6.: « La manière dont les anciens s'engageaient à ces combats arrêtés dans la vue d'éviter une guerre, mérite quelque attention. Ils étaient bien éloignés de penser que la

biliter prudenterque exerceri. Est porro aliquid multo magis irrationabile aperteque iniustum ipsa suicidii iniustitia, ex eo quod homo (ut iam sat clare demonstravimus) non est propriae vitae dominus, sed tantummodo administrator seu gubernator; is autem muneri suo deest, quotiescumque rem alienam suae curae commissam imprudenter ac temere periculo interitus obiicit. Ergo duellum est actus irrationabilis, naturali prudentiae oppositus, atque intrinsece iniustus, ipsa scilicet iniustitia suicidii. — Neque solummodo turpe ac pravum est perpetrare actu duellum, sed etiam, ut per se patet, illud offerre vel acceptare, sive mors aut ipsum etiam duellum postea reapse sequatur sive non. Etenim ipsa oblatio vel ipsa acceptatio duelli iam est consensus in actum duellandi. Iamvero « si actus est mortalis, et consensus in actum est mortalis (1). »

β) Duellum est actus impetendi privata auctoritate vitam alterius *citra necessitatem defensionis*: siquidem adversarius, qui tibi offert duellum, non aggreditur vitam tuam neque tuorum integritatem membrorum neque tuas divitias, sed solum te rogat et invitat ad pugnam, non tamen te occisurus neque damnum in membris aut divitiis tibi illaturus, si non acceptes (2). Atqui actus im-

---

nature ou la loi du combat singulier exigeât l'égalité dans les armes, afin que la victoire ne pût être attribuée qu' à une supériorité personnelle de force, d'adresse et de valeur. Au contraire on se croyait permis d'employer vis-à-vis de sa partie toutes les ruses, et de se donner contre elle tous les avantages que les lois de la guerre permettent entre deux armées ennemies. » Id autem pluribus adductis exemplis seu factis probat.

(1) Ita s. Thomas, opusc. de decem praec.

(2) Audiatur Card. de Lugo, op. et l. cit.: « Quando alius te ad duellum provocat, si acceptares et eum in duello occideres, occisio illa non esset defensio tuae vitae: nemo enim te invadit sed rogat solum et invitat ad pugnam, non tamen te occisurus, si non

petendi privata auctoritate vitam alterius *sine necessitate defensionis* est actus intrinsece malus malitia homicidii. Ergo duellum est actus malus malitia homicidii, prout homicidium a suicidio distinguitur. — Quod argumentum sic potest alio modo proponi. Occisio alterius, quae non sit *defensio* et quidem *necessaria*, si privata auctoritate fiat, est intrinsece mala. Atqui occisio alterius, quae in duello sequatur, non est *defensio*, et si esset defensio non tamen esset *necessaria*. Ergo occisio alterius, quae in duello sequatur, cum privata auctoritate fiat, est intrinsece mala. Probatur *minor*. 1°.) Non est *defensio*. Nam defensio supponit aggressionem actualem eamque involuntariam ex parte illius qui impetitur, seu excludit omnem duos inter contendentes praeviam de conflictu ineundo conventionem: in duello autem habetur praevia de conflictu conventio, eaque omnino praedeterminata quoad locum et tempus et arma. 2°.) Si esset defensio, non tamen esset defensio *necessaria*. Nam ad ipsum honorem servandum natura suggerit remedia alia maxime facilia, idonea et honesta (1).

---

acceptas. Non ergo occidis, ut te defendas ab occidere volente, sed ut vires et virtutem ostendas. Quare manet illa occisio semper intrinsece mala, cum sit *occisio privata sine necessitate defensionis*. Acceptare ergo duellum erit acceptare occasionem occidendi iniuste, atque ideo erit intrinsece mala ipsamet acceptatio, quia est acceptatio rei intrinsece malae. » Et paulo inferius ita pergit: « Si invasor iniustus velit te occidere, nisi duellum acceptes, tunc, si aliter evadere non possis, licite illud acceptas, quia occisio invasoris erit tunc *defensio necessaria*. » Nempe in praedicto casu posset *in continenti* pugna inchoari: nec proinde tunc haberetur proprie duellum, de cuius ratione est, ut fiat *ex condicto*, sed haberetur defensio contra iniustum vitae aggressorem.

(1) Cf. Gerdil, op. cit. chap. 13.: Taparelli, *saggio teoret.* diss. II. cap. 4. num. 395. segg.

Cum res ita se habeat, seu cum offerre vel acceptare duellum sit actio intrinsece mala malitia suicidii simul et homicidii, id facere est omnino et semper illicitum, quodcumque sit bonum, quod ex acceptatione duelli sequatur, aut malum, quod per acceptationem duelli vitetur (1). Neque enim sunt facienda mala ut veniant bona aut ut vitentur mala. — Qui duellum oblatum acceptaret, ne ignavus habeatur, et ob hanc ignaviae notam aliquod damnum incurrat, non absimili ratione se se gereret, accepto ea de causa duello, ac ille qui ab impiis amicis provocatus ad blasphemias evomendas aut ad mendacium proferendum, erumperet in blasphemias vel mentiretur, ne pusillanimis et scrupulosus haberetur, indeque damno alicui in divitiis aut in ipsa vita esset obnoxius (2).

II. Iuverit illud magis magisque declarare, quod affirmatum iam est et hac in quaestione videtur praecipuum,

---

(1) Duos distingue casus. Aliquando actio est *bona* vel saltem *indifferens*, ex ea tamen sequitur effectus malus (e. g. mors alterius). Aliquando actio est *mala moraliter* (e. g. occisio privata sine necessitate defensionis), at ex ea sequitur effectus bonus. In primo casu, fieri quaestio potest, utrum aliquando sit licitum ponere actionem illam, non abstante effectu illo malo, qui ex ea sequitur: respondetur autem affirmative, aliquando id licere, quum nempe effectus malus censeri potest *permissus* ab illo qui ponit causam, non autem ei *voluntarius*. In altero autem casu nulla institui potest quaestio, vel certe statim est negative solvenda ex illo principio, non esse facienda mala ut veniant bona vel ut vitentur mala.

(2) Ut idem de Lugo ratiocinari pergit, loc. cit., « non excusat timor dedecoris ex recusatione duelli, quia id non facit, quod occisio sit defensio, cum nemo te invadat, aut velit tibi invito aliquid auferre. Quare patienter toleranda est ignominia illa, quaecumque sit, quae ex eo oritur, quod vis observare legem Dei, qua prohibetur *occisio privata sine necessitate defensionis*, qualis illa erit: sicut si ignominiam incurreres propter observantiam praecepti circa castitatem vel aliquid aliud. »

nempe *honoris causam* non esse rationabilem iustamque causam exponendi se periculo mortis et impetendi alterius vitam in duello. Duellum suscipi *honoris causa*, potest intelligi tripliciter — ad puniendum adversarium ob iniuriam illatam eamque vindicandam — ad ablatum honorem recuperandum — ad honoris iacturam, quae ex non acceptatione vel etiam ex non oblatione duelli sequeretur, praecavendam.

Spectemus *primo* duellum, quod ineatur *ad puniendum adversarium ob iniuriam illatam, eamque vindicandam*. — α) Punitio rei proportionata crimini, itemque vindicta, non est quidem de se mala, verum in statu civili potestas iudicandi de crimine et de poena proportionata, eamdemque infligendi, committitur a natura (idque *magno hominum bono*) supremae auctoritati civili, quam nimirum natura ad hoc praecise instituit, ut leges ferat, iudicet et puniat. Itaque privatus privata auctoritate nequit iudicare authentice et alteri infligere malum physicum, multo vero minus mortem, ob iniuriam ab altero iam illatam (1). — At β) supponamus id, quod est falsum, nempe privatum posse privata auctoritate inferre malum physicum illi, a quo iniuriam accepit. Naturalis tamen ratio dictaret, malum physicum debere esse proportionatum iniuriae illatae, et consequenter accuratum iudicium de iniuriae gravitate debere praemitti condemnationi, neminem vero esse posse solum iudicem in causa propria (2). Dictaret item non expedire ut laesus sit ille idem qui malum physicum infligat, praesertim vero hoc malum physicum inferendum esse laesori non laeso, et proinde vi-

(1) De hac re diximus super. thes. IV., praesertim pag. 91. seqq.

(2) Cf. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 1m. Hunc s. Thomae locum attulimus super. thes. XXI. pag. 233.

tandum esse certamen singulare inter laesorem et laesum, in quo praesertim uterque constituatur in pari conditione; cum enim fieri possit, ut reus evadat innoxius et incolumis, laesus vero occumbat mortuus vel semianimis, foret hic modus agendi omnino insanus. Iamvero haec rectae rationis dictamina non servantur in duello.

Spectemus *secundo* duellum, quod ineatur *ad recuperandum honorem ab adversario ablatum per contumeliam, calumniam etc.* — α) Recta ratio non vetat usum mediorum ad recuperandum honorem, sed vetat hoc medium recurrendi ad arma, utpote ad talem scopum omnino *ineptum*. Neque enim rei exitus ostendit, adversarium esse mentitum, teque esse virum integerrimum, sed solum ostendit te esse audacem, te pollere dexteritate in usu armorum, magni facere existimationem apud homines, aliaque huiusmodi, quae omnia in scelestis quoque inveniuntur, et in his frequentius etiam quam in aliis. — At β) supponamus medium esse idoneum ad recuperandum honorem: est certe medium non *proportionatum*. Nam duellum est exponere semetipsum et proximum periculo mortis, propriamque familiam damnis innumeris: cum hoc autem malorum cumulo non habet proportionem bonum situm in recuperatione honoris, quod bonum est extrinsecum (1), valde inconstans et labile, cuius iactura vel nulla facta est, vel facta est apud paucos, eosque insipientes et iniquos. — Adhuc γ) supponamus medium esse idoneum et proportionatum: non est me-

---

(1) Distingue gloriam vel honorem *radicaliter seu fundamentaliter* sumptum, et honorem *formaliter* acceptum. Prior est praestantior vita, sed illius dispendium inviti subire non possumus: situs enim est in bono intrinseco virtutis, ob quam honor extrinsecus est homini virtuoso tribuendus. Alter non est vita praestantior: neque enim est intrinsecum, sed extrinsecum hominis decus.

dium *necessarium*. Alia enim praesto sunt media, praesertim vero constans vitae integerrimae ratio, et recursus ad auctoritatem civilem ad hoc a natura institutam, ut civium iura protegat. — Cum igitur duellum sit medium non necessarium, non proportionatum, atque prorsus ineptum ad recuperandum honorem, est aliquid inhonestum et illicitum. Ac proinde duellum suscipere non est recuperare honorem, sed honoris graviorem adhuc iacturam facere. Est enim iacturam facere virtutis moralis, quae est honoris fundamentum, et sine qua nullus dari potest honor verus.

Spectemus *tertio* duellum, quod suscipitur *ad praecavendam iacturam honoris, quae ex recusatione vel etiam non oblatione duelli sequeretur.* — α) De facto etsi sint homines insipientes et iniqui, qui dicant animi abiecti esse non offerre duellum vel oblatum non acceptare; sunt tamen viri sapientes et virtuosi, qui id aperte negant, et contrarium agendi modum habent tamquam honorificum, eique se in praxi conformant (1). Quomodocum-

---

(1) Ita se gessit Themistocles, ut Plutarchus narrat, *in vita* cap. XI.: « Eurybiadi, qui classis praefectus erat propter Spartae dignitatem, trepidanti periculum adire, statuentique ad Isthmum navigare, quo loco etiam terrestres Peloponnesi copiae erant congregatae, Themistocles contradixit; quo in certamine celebria ista eius dicta ab eo prolata memorant. Namque Eurybiadi obiicenti, in certaminibus qui maturius prodiissent verberibus plecti, respondit, verum id esse, sed et eos qui serius veniant non coronari; *tollentique baculum et plagam minanti Themistocles, percute sane, inquit, sed audi* (Ἐπαραμένου δὲ τὴν βακτηρίαν ὡς πατάξοντος. ὁ Θεμιστοκλῆς ἔφη, Πάταξον μέν, ἄκουσον δέ). Tum Eurybiades mite ingenium admiratus, dicere eum iussit. » — Recte Gerdil, op. cit. chap. 1.: « Ce n'est pas chez les peuples éclairés et polis qu'il faut chercher l'origine des Duels. Les Grecs et les Romains, les modèles de toutes les nations pour les arts de la guerre et de la paix, les Egyptiens, les Phéniciens,

que ergo te geras, vituperaberis ab hominibus. Iamvero ratio naturalis dictat, debere nos approbationem et laudem virorum sapientum et proborum praeferre opinionibus praeiudicatis hominum insipientium et impiorum (1). — (3) Quid quod apud ipsos mundanos homines omnis vitari potest iactura honoris, tum actus verae fortitudinis, data occasione, exercendo, tum etiam ita respondendo laesori: Ut scias me non esse timidum et ignavum, paratus sum me defendere, quandocumque me invaseris; nolo tamen ex condicto duellum acceptare, quia divinae legi contrarium est (2). — « Si vir liberalis ac splendidus, quae est apta comparatio allata a Viva (3), invitaretur vel ad proiicienda vel ad vocanda in periculum omnia bona sua, insipienter operaretur, si annueret ad declinandam notam aliquam avaritiae; quia nemo cordatus illi notam ullam inureret, sed potius laudarent omnes animi vim repellentem irrationabiles huiusmodi incitationes. Cum autem longe praestet bonis omnibus fortunae vita, multo magis operaretur insipienter vir equestris in periculum vocando propriam et alienam vitam, prout temere provocatur, ne timiditatis notam incurrat; cum nemo sanae mentis illi notam ullam inurat, sed potius commendetur animus repellens huiusmodi provocationes probro et capitali poena dignas. »

---

les Chinois si recommandables par la sagesse de leurs lois, n'imaginèrent point qu' il y eût de l' honneur à un citoyen d' usurper la puissance du glaive, pour se faire justice à soi-même, ou que pour effacer la honte d' un affront, il fallût s' exposer à périr sous les coups de celui dont on l' a reçu. »

(1) Huc faciunt verba s. Thomae super. allata pag. 243.

(2) Cf. Becanum, de virt. theolog. cap. XXVI. quaest. V.

(3) In comm. ad damnatas theses ab Alexandro VII., quas inter haec legitur: « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. »

III. Accedit consensus legumlatorum, qui unanimiter damnant et puniunt duellum, *utpote actionem naturali lege prohibitam.* Etenim apud omnes cultas gentes exstant civiles leges contra duellantes latae. Sed potissimum hac de re exstant leges ecclesiasticae. Concilium Tridentinum (1) vocat *duellorum usum detestabilem, fabricante diabolo introductum, ex Christiano orbe penitus exterminandum.* Ceteris documentis omissis, referemus quinque propositiones circa duellum damnatas a Benedicto XIV. an 1752 (2).

1ª.) *Vir militaris, qui nisi offerat et acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

Ut iam saepe diximus, *non sunt facienda mala ut veniant bona vel ut vitentur mala.* At offerre vel acceptare duellum est actio per se mala, ut probatum est. Ergo duellum offeri vel acceptari nequit, quaecumque sint mala, quae ex non oblatione vel ex recusatione duelli sequantur. Praesentis vitae bona, vel omnia, si opus sit, pro virtute et honestate profundere debemus, eaque cum divinae legi immolamus, nullam iacturam facimus, sed amplum lucrum. — Illud etiam consideretur quot quantaque sint mala, quae ex morte dimanant: qui vero duellum offert vel acceptat, is mortis periculo se obiicit. — Sicubi per

---

(1) Sess. 25. cap. 19.

(2) In Bulla *Detestabilem.* Hac in bulla principes quilibet enixe rogantur ut duellorum licentiae omni nisu et constantia vehementer obsistant. Monentur insuper quod « si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno se crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent. »

summum nefas civilis aliquis magistratus virum militarem, qui singulare certamen non offerat vel oblatum acceptare recuset, officio privaret; huiusmodi dispositio esset maxima iniquitas (1), quae tamen non hoc efficere posset, ut oblatio duelli vel eius acceptatio non sit violatio dominii Dei circa vitam hominum, ut explicatum est, et proinde actio per se mala.

2ª.) *Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad ipsum provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

Etenim ii, qui sic duellum offerunt vel acceptant, consensum dant seu habent voluntatem ponendi actionem per se pravam, vel saltem simulant se velle serio ponere actionem per se pravam. Non solum autem est illicitum ponere actionem pravam, sed etiam, ut diximus, velle ponere aut simulare se velle serio ponere actionem pravam (2). — Idem dicendum foret de iis, qui singulare hoc certamen inirent, cum pacto se non laedendi: nisi ex adiunctis evidenter appareret omnibus singularem illam pugnam esse ludicram, ut fit e. g. in theatris.

3ª.) *Non incurrunt ecclesiasticas poenas, contra duellantes latas, dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.*

In Constitutione Pii IX. *Apostolicae Sedis* IV. Id. Oct. 1869. declaratur, excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici reservatam incurrere « duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum

---

(1) Haec maxima iniquitas alicubi perpetratur. Vir militarfs, si duellum recuset, officio privatur; si acceptet, vi legum puniri debet.

(2) Recole ea quae de idololatria *simulata* diximus super. thes. IX. pag. 123.

acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. » Insuper Benedictus XIV. in eadem bulla *Detestabilem* declarat, « sepulturae sacrae privationem a sacrosanta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante Iudicis sententiam, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim inductum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit, sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate, quo ceteris documentum praebeatur fugiendi sceleris ac debitam Ecclesiae legibus obedientiam praestandi. »

4ª.) *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.*

In statu etiam *naturali* non liceret ad singularia certamina descendere *ex condicto.* Liceret tueri fortunas cum honore, servata sibi libertate eligendi tempus et modum pugnae, quem prudentia pro adiunctorum varietate suggereret, ut pugna minus periculosa et victoria, quam minime potest dubia efficiatur (1). — Ceterum fere inutile est loqui de statu hoc *naturali*, i. e. de statu hominum extra civilem societatem viventium. Hic enim status neque existit nunc, neque prius extitit: sed genere humano sufficienter propagato, homines ut in domestica ita in civili societate coniuncti semper vixerunt ac vivent.

(1) Cf. Tongiorgi, Eth. partic. num. 382. Cf. Gerdil op. cit. chap. 12. et 16.

5ª.) *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus iustitia aperte denegatur.*

« Si quotiescumque, ut recte arguit Tongiorgi (1), aliquis civitatem male administrari suaque iura violari existimat, iudicis ac vindicis munus sibi arrogare posset, actum esset de civili ordine ac de sociali convictu. Quod si revera, eversis publicis rebus, omnis iudicum ac magistratuum auctoritas in civitate conticesceret, liceret se suaque contra iniquos invasores vi et armis defendere, at singularia certamina *ex condicto* inire nullatenus liceret. »

76. SCHOLION. Quaeres tandem, quid dicendum de duello hac conditione inito, ut post vulnus aliquod non lethale pugna finem habeat? — Inprimis vulnera non semper ad mensuram infligi possunt, animis praesertim odio infensis ac pugnae furore aestuantibus. Praeterea non modo homicidium, sed etiam, ut suis locis demonstravimus, gravis sui et alterius mutilatio vel vulneratio est illicita et contraria dominio Dei circa vitam hominum: ergo dimicantes tenebuntur crimine, si non duplicis homicidii, certe gravis sui et alterius laesionis (2).

Hactenus de iniuriis proximo illatis in bonis vitae et corporis. — Civilis auctoritas debet has iniurias impedire ne fiant, et si illatae fuerint vindicare (3). Ipsius enim munus est, civium iura tueri et in pace ac iustitia rempublicam conservare. Inter iura autem sunt illa validissima, quae bona vitae et corporis respiciunt: paci vero ac iustitiae maxime opponuntur facinora contra ipsam vitam et corporis incolumitatem perpetrata.

---

(1) Loco nunc cit.

(2) Cf. eumdem auctorem, num 384.

(3) Recole ea quae diximus supra thes. VII. pag. 93.

c) De non laedendo proximo in suis divitiis.

Thesis XXIV.

I. *Dominium proprietatis perfectum definitur, ius in re sese extendens ad omnem rei usum, omnemque de ipsa rei substantia dispositionem in proprium bonum seu commodum, exclusis aliis.* II. *Ex iis, quae hac in definitione continentur, si quid desit, iam vel nullum erit dominium, vel certe imperfectum.*

77. Praenotiones. Lex naturalis prohibet, ne iniuria fiat alteri. Ac primo quidem vetat, ne iniuria fiat alteri *in propria persona*, i. e. in bonis vitae et corporis, *ne occidas:* hac de re iam egimus in sectione praecedente. Secundo vetat, ne iniuria fiat alteri in bonis *externis* seu *fortunae* (1): cumque inter bona haec externa sint *divitiae* (2), hoc omnino prohibet, ne iniuria fiat alteri *in suis divitiis*, i. e. in rebus suis, *ne furtum facias.*

Quemadmodum hoc probato, hominem habere ius in propriam vitam, statim perspicue intelleximus (3), *homicidium* esse iniuriam alteri illatam (quicquid enim *iure* possi-

---

(1) Bona externa seu fortunae sunt *divitiae*, *honor*, *fama* seu *gloria*, *potestas*. — Vide super. vol. 1. thes. VII. pag 59.

(2) Divitiae, ut alias etiam diximus, loc. nunc cit. pag. 60., dividuntur in *naturales* et *artificiales*. « Naturales quidem divitiae sunt. quibus homini subvenitur ad defectus naturales tollendos: sicut cibus et potus. vestimenta. vehicula et habitacula et alia huiusmodi. Divitiae artificiales sunt, quibus secundum se natura non iuvatur, ut denarii, sed ars humana eos adinvenit propter facilitatem commutationum, ut sint quasi mensura rerum venalium. » Ita s. Thomas, in 1. 2. q. 2. a. 1.

(3) Vide super. pag. 244.

detur, *iniuria* aufertur), ac proinde a naturali lege prohiberi; ita *furtum* esse iniuriam a naturae lege vetitam, constabit aperte, semel ac probatum sit, homini verum ius in res externas competere. Haec igitur est pertractanda nobis atque solvenda quaestio, *utrum et quomodo ius in res exteriores homini competat*. Quae quaestio ut apte solvatur, illud est primo loco tradendum, *quid sit ius proprietatis*.

78. Declaratio. Spectata *materia*, circa quam versatur, ius recte dividitur in *ius iurisdictionis* et *ius proprietatis*. Porro ius proprietatis apte distinguitur in *ius in re* et *ius ad rem*. De his omnibus alio iam loco (1) diximus satis. Ius *in re* dicitur *dominium proprietatis*, vel simpliciter *dominium*: est autem duplex, plenum seu perfectum, semiplenum seu imperfectum. Duo igitur tradenda sunt: — quid sit dominium *perfectum* — quid *imperfectum*.

I. Dominium *plenum* et *perfectum* definiri potest, ut sit *ius in re sese extendens ad omnem prorsus rei usum, omnemque de ipsa rei substantia dispositionem in proprium bonum seu commodum, exclusis aliis*. — Dicitur 1°.) *ius in re*. Haec verba locum tenent generis, cetera differentiae. Quod dominium sit *ius*, per se patet. Quod autem sit ius *in re* seu ius *reale*, non vero ius ad rem seu ius personale tantum, ex eo constat, quod dominus rei alicuius non dicatur neque sit, nisi ille, qui ipsam rem sibi obnoxiam seu obligatam habet: huc autem redit conceptus iuris in re. — Dicitur 2°.) *se se extendens ad omnem rei usum et ad omnem etiam de ipsamet rei substantia dispositionem* (2). Aliud enim

(1) Lege super. thes. II. pag. 32. seqq.

(2) Cum dicitur, ad *omnem* rei usum, ad *omnem* rei dispositionem, sermo est de omni usu et dispositione *ex se possibili*, i. e. non implicante contradictionem. Qua de re cf. de Lugo, op. cit. disp. II. sect. 1. num. 4.: « Sicut Angelus posset esse dominus panis, licet

est ius percipiendi ex re utilitatem fructumque, etiam omnem (v. g. ius deambulandi in horto et ex eo poma olera reliquasque fruges absumendi): aliud est ius disponendi de re quoad ipsam eius substantiam (v. g. ius donandi et vendendi hortum, eumque etiam destruendi ad domum ibidem aedificandam). Manifeste unum sine altero esse potest et solet (1). Iamvero dominium proprietatis non est plenum et perfectum, nisi quando utrumque illud ius, et quidem plene et perfecte, complectitur. — Dicitur 3°.) *in proprium commodum*. Hinc tutores, procuratores et similes excluduntur, qui scilicet utentes re vel disponentes de re, ea utuntur vel de ea disponunt in bonum non quidem suum, sed pupilli aut illius, cuius res vel negotia curant. Hinc quoque dominium proprietatis a dominio iurisdictionis distinguitur. Nimirum, res quae possidetur ut propria, est in bonum domini, cuius est propria, quique proinde potest eam in suum commodum ordinare seu convertere. At iurisdictio seu auctoritas, quae supra alios tamquam subditos habetur, est in horum bonum, non autem directe in bonum ipsius possidentis: hic si auctoritatem, quam habet, in suam

---

non posset illum comedere propter improportionem comestionis cum Angelo; ita Deus est perfecte dominus rei, licet eam non possit convertere in utilitatem suam intrinsecam. Satis est si quantum est ex parte iuris id non repugnet, licet repugnet ex incapacitate subiecti. » — Item sermo est de omni usu et dispositione *a lege non prohibitis*. Ius enim est facultas moralis seu *legitima* (vide super. thes. I. pag. 18.). Quare non potest se extendere ad ea quae per legem vetantur, ad ea quae inhonesta sunt vel irrationabilia. — Hoc pacto deber intelligi definitio, quae quandoque traditur, dominii proprietatis: *est ius utendi atque abutendi re*.

(1) Sic paulo superius, pag. 253., verba Lucretii in rem nostram derivantes dicebamus, quod vita « *mancipio* nulli datur, omnibus *usu*. »

utilitatem referat atque exerceat, ea abutitur, nec iam est rex aut superior, sed tyrannus (1). — Dicitur 4°.) *exclusis aliis.* Quae verba potestatem significant, quae domino competit, non modo ad hoc ne ab aliis ipse impediatur, sed etiam ad hoc ut alios impediat seu prohibeat ab usu et dispositione rei (2). Si quis hoc careat iure excludendi alios a rei usu et dispositione, iam profecto res illa non est sensu pleno *propria ipsius,* sed est ei *communis cum aliis* (3).

II. Ex iis, quae in definitione modo tradita enumeravimus, si quid desit, iam vel nullum habebitur dominium, vel certe tantum habebitur *imperfectum,* semiplenum, magis vel minus imminutum. Dominium hoc imperfectum

---

(1) « Princeps politicus, inquit Bellarminus, de laicis l. III. cap. VII, dum regit populum, non suam, sed populi utilitatem quaerit: tyrannus autem et *dominus* non populi, sed suam quaerit. » Id docet Aristoteles, ethic. VIII. 10.: *Ὁ μὲν γὰρ τύραννος τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ Βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων.*

(2) Sunt aliqua, e. g. altum mare aer lux et similia, quae ob ingentem sui copiam possunt omnibus aeque satisfacere, quin ullo umquam usu exhauriantur. Iamvero ut nemo potest ab aliis impediri, ita nemo potest impedire seu excludere alios ab usu illiusmodi rerum. Id facere, esset profecto agere irrationabiliter: ad illud autem quod est irrationabile nequit dari ius. Eae igitur res nequeunt esse obiectum seu materia dominii proprietatis.

(3) Ut traditus dominii proprietatis conceptus evadat clarior, iuverit explicationem, quam huius rei habet Card. de Lugo, de iust. et iure disp. 1. sect. 1., afferre. Dominium proprietatls (sic rem exponit) est praelatio quaedam moralis, qua hic homo praefertur moraliter aliis in usu talis rei propter specialem connexionem, quam res habet cum eo. Affert autem exemplum ferae captae a venatore, quae ratione capturae habet particularem cum eo connexionem: ex hac autem speciali connexione venator habet praelationem quoad usum ferae adversus quemlibet alium. Quod si venator donet feram alteri, eoipso transfertur moraliter ea connexio in donatarium, et simul cum connexione praelatio. Cf. Esparza, quaest. de virt. iustit. q. II.

distinguitur praecipue in dominium *directum* et *utile*. Est directum, quando versatur tantummodo circa substantiam rei: hoc imperfectum dominium vocatur etiam *nudum*, i. e. spoliatum utilitate fructuum, quos res affert. Est utile, quando versatur tantummodo circa usum vel usumfructum rei (1): huiusmodi dominium recte sic vocatur, *utile*, videlicet se se porrigens ad utilitates ex re aliena capiendas, salva illius substantia (2).

79. Scholion. Haec etiam iuverit animadvertere. — 1°.) *Proprietarius* rei alicuius dicitur is, qui *plenum* vel saltem *directum* rei illius dominium habet, et opponitur ei, cui *usus* tantum competit: hic dicitur *usuarius*, *usufructuarius*, *emphyteuta* etc. — 2°.) Res, de qua quis potest disponere, est *transitoria* vel *stabilis*, prout ipso usu consumitur, ut sunt esculenta et poculenta, vel non, ut est ager

---

(1) *Usus* et *ususfructus* non sunt omnino idem. « *Uti* et *frui*, ita Gerdil, tract. de iust. et iure part. II. disp. 1. cap. 1., sic differunt, ut usus necessitate circumscribatur, fruitio ad aliam quamcumque utilitatem pertineat. Itaque *ius utendi* non aliam praebet facultatem, nisi rem fructuariam adhibendi ad eam necessitatem vel utilitatem, ad quam ipsa est primo comparata. *Ius fruendi* praebet facultatem etiam fructus ex ea re prodeuntes donandi, vendendi et quomodocumque alienandi. Sic ille, qui habet merum usum v. g. horti, potest in eo deambulare, poma olera et reliquas fruges ad suum suorumque victum accipere: non eos fructus arbitratu suo absumere et quomodocumque alienare, sicut qui usumfructum horti habet. » — Hinc super. thes. II. pag. 34. enumerantes decem varias (pro varietate utilitatum) species dominii *utilis*, distinximus et primo loco posuimus, *usum* et *usumfructum*.

(2) Exemplum afferamus ex contractu *emphyteusis*. Titius praedii dominus Caio ad decem annos praedii illius usumfructum concedit ea conditione, ut certam quotannis pensionem solvat. Hoc inito contractu, iam neuter perfectum praedii illius dominium habet, sed uterque habet imperfectum: scilicet Titius habet directum. Caius vero emphyteuta utile. Illa vero pensio, seu potius *canon* solvendus omnino est in agnitionem dominii directi.

aut domus (1). — 3.°) Actualis detentio rei alicuius dicitur *possessio:* est autem *legitima* vel *illegitima*, prout in iusto titulo fundatur vel secus, seu prout res iure possidetur vel iniuria. Quemadmodum dari potest actualis possessio rei sine iure possidendi rem (2); ita dari potest verum ius in re verumque proprietatis dominium sine actuali possessione rei: amissa enim possessione rei, non iam semper eoipso amittitur dominium seu ius in re.

Illud porro est apprime manifestum, Deum solum esse absolute et eminentissimo modo plenum dominum rerum omnium. Est enim rerum omnium creator, conservator, finis ultimus (3). Unde cum plena veritate Ipsi dicimus: *Tu solus Dominus.* — Itaque α) nullum profecto ens creatum est aut potest esse vere proprietarius respectu Dei (4): β) nullum ens creatum potest uti re aliqua, tamquam absolute et simpliciter sua, i. e. quasi non accepta a Deo neque ab Ipso principaliter dependente (5): γ) ius proprietatis nequit enti creato inesse nisi a solo Deo et subordinate ad Deum. — Hoc igitur est primo inquiren-

---

(1) Item bona distinguuntur in *immobilia* et *mobilia.* Quae nequeunt loco moveri, ut domus vel ager, ea sunt immobilia: quae ex uno in alium locum transferri possunt, ut fruges vel artis instrumenta, sunt mobilia.

(2) Hoc sensu recte illud sanxit Ulpianus, l. 12., §. 1., ff., *de acq. possess.*, « Nihil commune habet proprietas cum possessione. » Etenim aliquando fit, ut qui rem possidet, non *iure* possideat sed tantummodo *facto.*

(3) Cf. super. thes. VIII

(4) Vide super. thes. IV. pag. 61. — Lege etiam de Lugo, op. cit. disp. II. sect. 1. num. 4.: « Dominium, de quo loquimur, est dominium humanum, ad quod sufficit *ius praelationis in ordine ad alios homines.* Nam eo ipso hic homo dicitur dominus humano modo, licet non habeat ius praelationis in ordine ad Deum. »

(5) Vide s. Thomam, 2. 2. q. 66. a. 1. Cfr. Gnry, tract. de iust. et iure ab init.

dum: utrum Deus, omnium iurium fons et origo, det homini ius proprietatis? Datne tantummodo humanae societati, an vero etiam privatis? et si privatis etiam dat, quarum rerum dominium ipsis confert? anne rerum etiam stabilium? et per quam legem seu quomodo dat? Sit igitur

Thesis XXV.

Dominia privata rerum etiam stabilium sunt a natura, quae ea omnino approbat rataque habet. Quare sententia Communistarum est omnino reiicienda.

80. Praenotiones. Partitionibus dominii, quas iam in praecedente thesi tradidimus, debet addi haec alia. — Dominium *subiective* inspectum potest concipi duplex, alterum *individuale* seu *privatum*, alterum *sociale* seu *collectivum*. Illud, cuius subiectum sit unum individuum vel etiam una familia, est individuale seu privatum. Illud vero, cuius subiectum sit civitas, i. e. societas ex plurium familiarum unione resultans, vel generatim communitas humana est sociale seu collectivum.

Iamvero de dominio *privato* (cum autem dico dominium, intelligo *dominium plenum*) quaeritur, utrum illud sit *naturale*, i. e. secundum intentionem naturae, quae illud approbet ratumque habeat? — Si agatur de dominio privato circa res illas, quae solo usu destruuntur, quaeque idcirco, ut iam diximus, *transitoriae* appellantur, omnes facile conveniunt illud esse naturale. Dissensus est quoad domiñium privatum circa res *stabiles*, illas videlicet, quarum substantia per usum non perit, maxime vero circa agros et fundos. Hoc etiam esse naturale affirmant plurimi: negant autem et praefracte negant *com-*

munistae (1). Quorum, ut omnes probe sciunt, haec est unanimis vox, dominium privatum de rebus stabilibus esse iniustitiam atque apertam legis naturalis violationem (secundum hoc nimis celebre effatum, *la propriété c' est le vol*): illud proinde esse e medio prorsus tollendum, solumque retinendum esse dominium commune. Agri et fundi (hoc saepe affirmari audimus) non possunt esse proprii ullius individui vel familiae: ii enim iuxta naturae intentionem pertinent exclusive ad communitatem humanam vel societatem civilem, quae (haec aliqui addunt) per suos magistratus debet sociis attribuere partem ut oneris et laboris in bonum commune impendendi, ita fructus et utilitatis ex bonis communibus recipiendae.

En igitur quaestio, quae circa hoc de dominio argumentum praecipue tractanda est in morali philosophia: dominia privata rerum etiam immobilium suntne a natura an vero contra naturam, quae scilicet, si de rebus stabilibus sermo sit, solum admittit dominium collectivum, ut asserunt communistae, privato prorsus reiecto? Affirmamus autem, ea omnino esse a natura, seu a lege divina naturali, quae proinde est dominii huius privati *fons* primus primumque *principium* (2).

81. Demonstratio. I. Haec thesis probatur in primis *a posteriori*, seu ex facto universali et constanti.

Dominia privata rerum etiam stabilium sicut nunc in medio cuiusvis civilis societatis existunt, ita anteactis tem-

---

(1) De hoc inter se conveniunt *communistae*, dominia privata esse latrocinia, solum retinendum esse dominium commune. De modo autem seu *forma*, sub qua dominium hoc commune sit ad effectum reducendum, maxime inter se dissentiunt.

(2) Recole ea, quae diximus supra thes. II. pag. 31., de quinque elementis in quovis iure considerandis, *principio*, *materia*, *titulo*, *subiecto*, *termino*.

poribus semper extiterunt in medio cuiusvis politicae communitatis. — Contrarium, quod scilicet singuli homines vel singulae familiae nullam rem immobilem sibi propriam habeant, in nulla invenimus civitate, nisi forte *valde parva*, quae nomen civitatis vix mereatur, et *ad breve tempus:* crescente enim hominum seu familiarum numero, videmus statim rerum etiam stabilium inter privatos divisionem (1).

Iamvero cum nihil sit sine ratione sufficienti et adaequata, oportet ut hoc etiam factum causam sui sufficientem habeat. Sed est factum *universale* et *constans* in omnibus hominibus: causa vero adaequata facti, quod sit in omnibus hominibus universale et constans, non potest esse, nisi aliquid, quod tum *identice* sit tum *constanter* sit in cunctis hominibus: nihil autem est identicum et constans in cunctis hominibus, nisi ipsa rationalis *natura*. Ergo factum illud causam sui sufficientem non habet, nisi in ipsa hominis natura, quae scilicet hominem valide inclinat ad privatum de rebus etiam stabilibus dominium sibi acquirendum. — Vehementi naturae propensioni *generaliter* ab hominibus non contradicitur. Stante igitur forti illa naturae propensione ad dominia privata, plene statim intelligimus et clare ex-

(1) Ineptum foret obiicere aut barbaros et silvestres homines aut etiam nomades populos: apud eos enim nullum proprie est *stabile* dominium, non privatum, non collectivum. Si tamen apud hos agrorum inter ipsos privatos divisionem non invenimus, hoc exinde *tantum* oritur, quod ii ament ex uno in alium locum saepe transmigrare. Statim ac (id quod solet brevi post tempore contingere) fixas certo in loco sedes habere praeoptant, videmus singulos *mobili* nomadis supellectili (tentorio, venatus instrumentis etc.) adiungere *immobilem* proprietatem *agricolae* suam habentis domum, suos campos, suum fundum etc.

plicamus, quanam de causa dominia privata adeo *generaliter* extiterint et existant.

Hoc argumentum, quamvis a posteriori seu ex facto, est tamen validissimum ad systema communistarum refellendum. Quemadmodum iis, qui vel cum Hobbes aiunt hominem esse natura sua *antisocialem*, vel cum Rousseau affirmant eum esse natura sua *extrasocialem*, obiicimus factum universale et constans hominum ubique et semper in societate simul conviventium, eosque satis superque refutasse censemus; ita communistis, qui contendunt solum dominium collectivum esse vere naturale, opponimus, et hoc iam ad eos refellendos sufficeret, factum universale prorsus ac constans dominii privati ubique et semper vigentis. Scilicet in eorum sententia, id quod naturale esset, numquam vel vix umquam extitisset: illud semper vel fere semper obtinuisset, quod tamen foret contra naturam. Quis hoc ferat? Hisce in rebus homines tali ac tanta universalitate et constantia non resistunt naturae: si qui resistunt, ii sunt relative pauci.

Est tamen, obiiciunt communistae, aliud factum illudque manifestum, quod vos explicare nequitis, videlicet privata haec dominia tum in hominum existimatione ac iudicio tum in praxi ipsa et exercitio imminui, crescente populi cultura morumque evolutione. — Respondemus, ea nullo prorsus pacto imminui, sed sicut par est determinari vel definiri, nimirum intra debitos limites adduci. Dominium enim, aeque ac quodlibet aliud ius, neque est neque esse potest incircumscriptum (1). Morali itaque sensu in civili societate aucto et expolito, dominium desinit e. g. versari circa id, quod obiectum talis dominii esse nequit,

---

(1) Vide ea, quae de *limitatione* iuris diximus super. thes. V. pag. 72. seqq.

puta circa ipsam personam hominis qui ut mera res habeatur, et sic e medio tollitur *servitus* proprie dicta. Id autem ostendit, penes illum populum non quidem dominium proprietatis decrescere, sed iuris proprietatis conceptum rationabilius intelligi ac rectius teneri, nec iuris proprietatis praetextu iustitiam violari.

II. Argumento huic *a posteriori* addimus argumentum *a priori*, intrinsecam rei rationem reddens.

Natura approbat ratumque habet id quod est expediens et a fortiori id quod est necessarium ad humanam vitam. Atqui privatum dominium, seu, quod idem est, divisio rerum etiam stabilium inter ipsos privatos, est expediens, imo nunc (1) necessaria ad humanam vitam. Ergo natura eam omnino approbat ratamque habet: hinc ad eam inclinat hominem, ad eam homini ius confert.

Maior est manifesta. *Minor* ab Aristotele (2) demonstratur — α) ex *malis*, quae statim ex exclusione dominii privati sequerentur — β) ex *bonis*, quae statim per eiusdem exclusionem tollerentur.

α) Mala, quae statim ex exclusione dominii privati orirentur, sunt potissimum querelae et iurgia seu rixae. — Vel enim supponimus, ita disserit Philosophus, agros excoli ab *externis* vel ab ipsis *civibus*. Si ab externis, minor sane esset difficultas in distributione laborum et fructuum: sed vix possibile esset tot agricolas externos invenire. Hinc Socrates apud Platonem in Republica, cum ita ordinet suam civitatem ut in ea velit omnia esse communia, supponit agros coli ab ipsis civibus. Tunc autem necessario exsurgerent innumerae querelae in dis-

---

(1) « In praesentibus circumstantiis naturae lapsae et hominum multitudinis, » ut ait de Lugo, de iust. et iure disp. VI. sect. 1. n. 5.

(2) Polit. II. 2. — Cf. comm. Silv. Mauri in h. l.

tributione *laborum* et *fructuum*. Nam *primo*, alii deberent mitti ad excolendos agros, alii deberent retineri in civitate ad rempublicam gubernandam: ergo in hac ipsa onerum seu *laborum* distributione multae orirentur querelae. Nec dicas, posse hoc uniuscuiusque arbitrio relinqui, cuinam curae seu laboris generi se se applicet: siquidem maxima inde, ut patet, oriretur confusio. *Secundo*, plus ex fructibus deberet retribui iis qui manent in civitate, utpote dignioribus, quam iis qui laborant in agro, utpote vilioribus; ergo in hac *fructuum* distributione orirentur innumerae querelae causantium eos, qui minus laborant in excolendis agris, magis frui fructibus agrorum, eos autem, qui magis laborant, minus frui fructibus manuum suarum. — Haec Aristoteles, sagax ille humanorum morum inquisitor, confirmat ex inspectione facti ob omnium oculos positi, videlicet in convictu quovis, in quo multi communicant in bonis, oriri facillime dissensiones ac iurgia. Sic socii in peregrinando, quum ex indiviso bona possideant, saepe dissident de minimis rebus: item inter domesticos et servos simul in bonis communicantes exsurgunt crebrae discordiae. — Haec autem Philosophus concludit hisce verbis: Τὸ *μὲν οὖν κοινὰς εἶναι τὰς κτήσεις ταύτας τε καὶ ἄλλας τοιαύτας ἔχει δυσχερείας*: « communes igitur esse possessiones et has et *alias* huiusmodi habet difficultates; » actum profecto foret de debita inter homines concordia ac *pace*.

Nonne, obiiciunt communistae, nonne etiam illud, quod possessiones sint privatae, habet multas gravesque difficultates? nonne etiam ex dominiis privatis multa et gravia oriuntur mala? Huiusmodi mala sunt lites circa contractus, accusationes, falsa testimonia, adulationes quibus pauperes assentantur divitibus etc. — Respondemus, quatuor haec cum eodem Philosopho breviter animadvertentes. 1°.) Eorum malorum nihil enascitur ex dominio

privato, sed ex improbitate: *ὧν οὐδὲν γίνεται διὰ τὴν ἀκοινωνησίαν ἀλλὰ διὰ τὴν μοχθηρίαν.* Nulla autem est bona res, nulla bona institutio, cuius occasione ob hominum improbitatem non enascantur mala. 2°.) Haec autem ipsa mala possunt, saltem magna ex parte, facile impediri aliter, quam per exclusionem dominii omnis privati. Oriuntur enim ex iniquitate non tantummodo pauperum, sed etiam divitum, qui nolunt liberaliter bona propria quoad usum communicare pauperibus. Si igitur bona sint quidem propria, sed simul per virtutem liberalitatis sint veluti communia pauperibus quoad usum, iam si non omnia, plurima certe ex praedictis malis tollentur. 3°.) Querelae ac dissensiones sunt multo rariores et minores, si possessiones sint privatae, quam si sint communes. *Τοὺς κοινὰ κεκτημένους καὶ κοινωνοῦντας πολλῷ διαφερομένους μᾶλλον ὁρῶμεν ἢ τοὺς χωρὶς τὰς οὐσίας ἔχοντας.* « Eos qui bona communiter possident et inter se communicant, multo magis dissidere videmus, quam qui seorsum facultates habent » (1). 4°.) Non tantummodo mala, quae occasione dominiorum privatorum ob hominum nequitiam exsurgunt, considerari debent, sed etiam bona quae ex dominiis privatis sequuntur. *Δίκαιον μὴ μόνον λέγειν ὅσων στερήσονται κακῶν κοινωνήσαντες, ἀλλὰ καὶ ὅσων ἀγαθῶν.* « Aequum est, non solum exponere, quot malis ca-

---

(1) Ad rem Lessius, de iust. et iure l. II. c. V. n. 3.: « His incommodis per divisionem utcumque occursum est. Multo enim pauciores et rariores sunt nunc occasiones, quam tunc fuissent: quamvis ob hominum pravitatem non omnia incommoda vitari potuerint. » — Simili modo, obiicienti mala quae ex vita sociali oriuntur, respondemus: 1°.) ea mala non oriri ex vita sociali, sed ex improbitate hominum viventium in societate: 2°.) ea mala esse minora illis, quae forent si homines belluarum instar seorsim viverent extra societatem.

rituri sint qui bonorum communicationem fecerint, sed etiam quot bonis. »

β) Bona, quae statim per exclusionem dominii privati tollerentur, plura sunt. — *Primo*, tollitur debita cura ac diligentia in excolendis agris, in conservandis fructibus, et procurandis iis quae ad vitam humanam maxime sunt necessaria: communia enim facile negliguntur. Ἥκιστα γὰρ ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείστων κοινόν· τῶν γὰρ ἰδίων μάλιστα φροντίζουσιν, τῶν δὲ κοινῶν ἧττον, ἢ ὅσον ἑκάστῳ ἐπιβάλλει. Πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις ὡς ἑτέρου φροντίζοντοῖς ὀλιγωροῦσι μᾶλλον, ὥσπερ ἐν ταῖς οἰκετικαῖς διακονίαις οἱ πολλοὶ θεράποντες ἐνίοτε χεῖρον ὑπηρετοῦσι τῶν ἐλαττόνων. « Minimum diligentiae contingit circa id quod plurimorum commune est: propria enim maxime curant, communia minus, aut quantum ad quemque attinet. Nam praeter alias causas, utpote altero curam gerente, negligunt magis; sicut in servilibus ministeriis multi famuli interdum deterius ministrant quam si essent pauciores » (1). Cum scilicet unusquisque libenter sibi persuadeat, alterum adhibiturum esse illam curam, quam ipse renuit exercere, cura illa ab omnibus praetermittitur. Porro, sublata debita cura in excolendis agris, actum profecto est de humanae vitae *prosperitate* (2).

---

(1) Op. et l. cit. cap. 1. — Et l. 1. Oeconom. c. 6. legitur: οὐθεὶς γὰρ ἐπιμελεῖται ὁμοίως τῶν ἀλλοτρίων καὶ τῶν οἰκείων. « Nemo enim parem curam adhibet de alienis rebus atque de domesticis. » Affertur autem dictum cuiusdam Persae, qui interrogatus, quid equum maxime pinguem efficeret? *Domini*, inquit, *oculus*, i. e. cura praestita a domino ipso, vel ab eius servo sed inspectante domino.

(2) Homini stimulo opus est, ut assiduo et diligenti labori se se dedat. Stimulus autem est *necessitas* atque *spes lucri*. Sed haec duo, si communistarum systema reciperetur, iam non essent. Ergo ne labor quidem esset. Hoc autem deficiente, nulla vigeret cultura agrorum ceterarumque artium, seu nulla esset vitae *prosperitas*.

Secundo, tollitur voluptas illa, qua homines afficiuntur, dum certo sciunt aliquid esse proprium ipsorum. Haec autem delectatio qualis quantaque sit, Aristoteles (1) affirmat, non posse verbis exprimi. Πρὸς ἡδονὴν ἀμύθητον ὅσον διαφέρει τὸ νομίζειν ἴδιόν τι. « Ad voluptatem *inenarrabile* est, quantum intersit existimare aliquid esse proprium. »

Tertio, tollitur exercitium virtutis liberalitatis. Hoc autem exercitium honestissimum simul est ac dulcissimum. Τὸ χαρίσασθαι καὶ βοηθῆσαι φίλοις ἢ ξένοις ἢ ἑταίροις ἥδιστον· ὃ γίνεται τῆς κτήσεως ἰδίας οὔσης. « Largiri et opem ferre amicis aut hospitibus aut sodalibus dulcissimum est: quod tunc fit, quando possessiones privatae sunt. »

Doctrinam Aristotelis sic breviter et egregie perstringit angelicus Doctor (2): « Quod homo propria possideat, est *necessarium ad humanam vitam* propter tria. — *Primo* quidem, quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id, quod est commune omnium vel multorum: quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id, quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum.

---

(1) Op. et l. cit. cap. 2. — Huius porro delectationis Philosophus statim rationem assignat. Unusquisque amat seipsum magis etiam quam amet alios: hoc autem est *naturale*, ἔστι τοῦτο φυσικόν. Sed hic amor sui non est frustra. Ergo unusquisque delectatur se aliquid tamquam proprium, exclusis aliis, habere. — Solvit etiam difficultatem: nonne amor suiipsius (τὸ φίλαυτον εἶναι) vituperari solet, idque iure ac merito? Scilicet, non vituperatur utcumque amor sui, siquidem omnes seipsos amant, sed *immoderatus* seu *inordinatus* amor sui (τὸ μᾶλλον ἢ δεῖ φιλεῖν): sicut non est reprehendendus amor pecuniarum, siquidem omnes aliqualiter student pecuniis, sed immoderatus earum amor, i. e. eas amare plus quam oportet.

(2) In 2. 2. q. 65. a. 2. — Cf. de Lugo, op. et l. cit. num. 1. Item cf. Suarez, op. sex dier. l. V. c. 7.

— *Alio modo*, quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis immineat propria cura alicuius rei procurandae: esset autem confusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret. — *Tertio*, quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est: unde videmus, quod inter eos, qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius iurgia oriuntur. »

Communistas strenue urget Gury (1) hisce verbis: « Possideat omnia bona sola Respublica, et cives sint operarii. — Verum quale aderit laborantibus incitamentum? Quis laboris genus singulis assignabit? Quomodo victus quotidianus et vestimentum omnibus subministrabitur? Nonne requiretur legio praepositorum? Sed iam non omnes igitur duris laboribus addicendi sunt. Quibusnam vero incumbet officium praepositorum vel subditorum? Quid de aegrotis, infirmis, senibus, pueris? quid de familia? quid de officiis mutuis parentes inter et filios? quomodo discernendi erunt veri infirmi ad laborem inepti ab innumeris, qui impotentiam simulabunt? quid de commercio? de artibus? de litteris? de scientiis in societate necessariis, v. g. iuris, medicinae? »

Quid ergo, ut hanc thesim concludamus, quid de *communismo* dicendum est? — Is, ut Aristoteles ait, primo quidem adspectu speciosus et humanus esse *videri* potest, *εὐπρόσωπος καὶ φιλάνθρωπος ἂν εἶναι δόξειεν*: idque ob mala, quae occasione dominii privati ex nequitia hominum exsurgunt, quaeque communismus re-

(1) Loc. iam cit. — Systema communistarum proponit et in risum vertit Aristophanes in comoedia, cui titulus ἐκκλησιάζουσαι. « Agros primo (en programma Praxagorae) faciam omnibus communes et pecunias et alia quae uniuscuiusque sunt. Dein ex illis omnibus, factis communibus, vos omnes alemus etc. »

movere videtur. Tantum autem abest, ut *revera sit* talis, i. e. φιλάνθρωπος seu humanus, ut *paci* et *prosperitati* humanae vitae prorsus adversetur. Immo vita huiusmodi, qualem *communismus* extollit, ne possibilis quidem est: φαίνεται δ'εἶναι πάμπαν ἀδύνατος ὁ βίος. Si qua enim *communismus* removet mala, tot alia secum affert gravissima mala totque privat maximis bonis, ut si aliquando reciperetur, actum omnino foret de humana vita.

82. Scholion. Quomodo, inquies, rerum communio, quae reapse in tot piis hominum caetibus optime viget, dici ἀδύνατος potest? — Scilicet, dicitur non posse convenienter vigere in societate civili: inter hanc autem et pios illos caetus maximum, ut patet, est discrimen. Caetus hi sunt artificiales quaedam imitationes societatis illius maxime naturalis, quae est familia: unde passim *familiae religiosae* vocantur. Quemadmodum ergo in familia *naturali* haberi convenienter potest bonorum communio; ita eadem esse potest in familiis hisce, ut sic loquar, *artificialibus*, i. e. in domibus religiosis. Immo, in his facilius ac melius quam in illis naturalibus vigere potest: quia hae domus hominibus constant, qui ad perfectionem tendunt, atque Deo omnia sua devovent, nominatim vero bona exteriora per *paupertatis* votum.

Apposite Card. de Lugo (1): « Cum hoc (i. e. cum veritate in hac thesi proposita) stat, quod in aliqua bonorum congregatione utilius sit ad pacem nihil proprium singulos habere, ubi nimirum propter singulorum perfectionem et animorum concordiam haec omnia inconvenientia facile vitantur, deputatis aliquibus, qui res communes administrent et singulis necessaria provideant, prout fit in caetibus religiosis et initio nascentis Eccle-

---

(1) Op. cit. disp. VI. sect. 1. num. 1.

siae fideles Hierosolymitani aliquamdiu observarunt (1). In tanta vero hominum multitudine modus ille vivendi utilis non esset, quia perfectio apud paucos reperitur. Unde crescente fidelium multitudine, oportuit fideles dominia etiam rerum privata retinere. Quod etiam in ipso statu Clericorum factum est, qui cum initio vitam etiam communem agerent, crescente tamen eorum numero, propter eadem inconvenientia oportuit, quod proprium haberent, et vita illa communis apud paucos et electos, hoc est penes Religiosos, retineretur. »

Vere igitur bonorum communio in civili societate haberi nequit. Non debent sane ea supponi, quae reapse non sunt, i. e. rectores omnes societatis civilis ac subordinatos omnes magistratus esse prudentissimos atque iustissimos, subditos pariter omnes mutua concordia, frugalitate, laborum patientia, patriae amore praestantes. Etiamsi haec omnia adessent, non idcirco tamen dominia privata possent excludi (2). Quanto magis excludi nequeunt, cum ea omnia facile quidem supponantur, sit autem moraliter impossibile, quod reapse in civili societate adsint.

---

(1) In Act. Ap. cap. IV. v. 14. legitur de primitivis fidelibus Hierosolymitanis: « Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. » — Id autem faciebant *ex libera voluntate.* Hinc s. Petrus Ananiam, qui de pretio agri venditi partem tantummodo attulit, redarguit solum de mendacio, cap. V. v. 3.: « Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate? »

(2) Ad rem faciunt ea, quae habet Suarez, de op. sex dier. l. V. c. 7. num. 18., agens de statu in quo homines fuissent si Adam non peccasset: « Non videtur esse datum in illo statu (originalis

Thesis XXVI.

I. *Quaerenti, quinam sit modus, quo dominium privatum a natura dimanat, respondemus, actuale ius privati alicuius in hac vel illa peculiari re non esse a natura nisi mediate, i. e. mediis humanis factis, seu consequenter ad humanae activitatis exercitium.* II. *Factum primigenium, quo res, quae actu nullius erat, primo fit alicuius, est occupatio, cui accedit labor seu industria circa rem occupatam adhibita: facta autem secundaria, quibus res a dominio unius transit in dominium alterius, sunt multiplicia, praecipue vero contractus.*

83. Demonstratio. Dominia privata, ut in superiore thesi ostendimus, sunt a natura. At *quonam modo* ab ea procedunt? Merito hoc quaeritur. Neque enim iura omnia uno prorsus eodemque modo a natura dimanant, sed — vel *immediate* vel *mediate* — vel *antecedenter* vel *consequenter* ad activitatis humanae exercitium seu ad facta humana (1). — Ex his patet argumentum seu scopus huius theseos, quae duabus constat partibus.

Pars Prior. I. Dominia privata esse a natura, duplici pacto concipi potest. — *Primo*, quatenus ipsamet

---

iustitiae) praeceptum prohibens hanc rerum divisionem, quia nec *positivum* invenitur, nec *naturale* colligitur ex principiis rectae rationis. Quia talis divisio de se nec contra iustitiam esset nec contra aliam virtutem, et posset esse utilis, ut bene explicavit Leon. Lessius l. 2. de iust. c. 2. dub. 2. » Et sic pergit, rem ostendendo, primo quidem de rebus mobilibus, tum vero etiam de immobilibus. — Ac sane debemus, ut iam diximus, spectare etiam *bona*, quae per exclusionem dominii privati tolluntur.

(1) Recolantur ea, quae diximus supra thes. II. pag. 35.

natura huic vel illi privato determinate et exclusive adscribat hanc vel illam rem peculiarem. *Secundo*, quatenus natura nemini rem ullam in particulari assignet, sed unicuique det potestatem acquirendi sibi (rationabili quidem iustoque modo) res etiam stabiles: homo autem hanc potestatem sibi a natura factam rite exercens seu ad actum reducens, istam vel illam rem sibimetipsi ordinate attribuat. Si *primum*, dominia privata sunt a natura *immediate* et *antecedenter* ad humanae activitatis exercitium. Si *alterum*, *proxime* quidem consequuntur illud factum humanum, quod vi praedictae potestatis ponitur, *remote* vero sunt ab hac ipsa potestate et proinde a natura, a qua potestas illa conceditur.

Iamvero *primum*, ut patet, dici nequit. — Si sermo sit de corpore eiusque membris, haec sane natura ipsa unicuique nostrum aptat: ac proinde dominium seu ius, quod habemus, iis utendi est *immediate* ab ipsa natura. At si sermo sit de rebus extra nos positis, natura nullam ex iis ulli homini in particulari applicat. « Sunt, ut recte dixit Tullius (1), privata nulla natura: sed aut veteri occupatione ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, conditione, sorte: ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum. Similisque est privatarum possessionum descriptio. » Eodem sensu dixit s. Thomas (2): « Secundum ius naturale non est distinctio possessionum. »

Res igitur est *altero* pacto concipienda. — Natura unicuique confert potestatem moralem seu ius connectendi

---

(1) De off. l. 1. c. 7.

(2) In 2. 2. q. 66. a. 2. — Et Suarez, def. fidei l. 3. c. 2.: « Immediate non dedit Deus (ordinarie loquor) alicui homini proprium et peculiare dominium alicuius rei, »

secum ipso ac sibi proprias efficiendi res etiam stabiles. Haec autem potestas, quamvis non sit actuale dominium proprietatis seu ius in re ulla particulari, tamen est ipsius veluti *radix*, est ipsius quasi *semen* seu *germen*: est enim id, ex quo, si debitis factis seu debito humanae activitatis exercitio quodammodo *foecundetur*, actuale dominium seu ius in hac vel illa determinata re naturaliter enascitur (1).

II. Ex dictis solves hanc, quae saepe obiicitur, difficultatem. Id, quod pendet a libero hominis arbitrio, dici nequit naturale. Atqui dominium privatum pendet a libero hominis arbitrio. Ergo dici nequit naturale. — Respondeo. *Dist. mai.* Id, quod *proxime* quidem completur per liberum hominis arbitrium, *remote* vero procedit a natura quae ad ipsum inclinat et confert ius, nequit dici naturale *nego*, id, quod *unice* pendet a libero hominis arbitrio *trans. Contradist. min.* Dominium privatum *in potentia*, i. e. potestas efficiendi sibi proprias res exteriores earumque dominium acquirendi, pendet a libero hominis arbitrio *nego*, dominium privatum *in actu*, i. e. actuale ius in hac vel illa re peculiari *subd.*, pendet *unice* a libero hominis arbitrio, absque radice seu fundamento in ipsa hominis natura *nego*, consequitur *proxime* actum aliquem libere positum, *remote* autem est a natura, quae hominem inclinat eique dat potestatem seu ius ad res debito modo sibi acquirendas *conc.*

Videlicet, *naturale* dicitur non uno, sed pluribus modis. — Quos inter modos hic etiam est recensendus: illud quoque « dicitur naturale, *ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur*, sicut actus virtu-

---

(1) Cf. Taparelli, *corso elem. di nat. diritto*, num. 112.

tum vel virtutes dicuntur naturales. » Quae verba sunt s. Thomae (1).

Et sane tum unio coniugalis, tum unio plurium in societatem litterariam vel mercatoriam pendent a libero contrahentium consensu. Prior tamen unio dicitur atque vere est naturalis (quid magis naturale, quam coniugium?): altera vero unio non dicitur naturalis, sed libera. Quaenam est discriminis huius ratio? Quia natura ad priorem illam unionem ineundam vere ac proprie hominem inclinat, non autem ad alteram. — Eodem igitur pacto, cum natura hominem vehementer inclinet ad habenda dominia privata, haec dici debent naturalia, quamvis *in particulari* dominium in hac vel illa re, e. g. in hoc agro vel in hac domo, non existat nisi dependenter a libero humanae activitatis exercitio: sicut etiam *in particulari* unio viri huius cum hac femina non adest nisi dependenter a libero utriusque consensu.

III. Quaeri hic potest, utrum ius illud ad res sibi acquirendas, quod diximus a natura unicuique concedi, sit *liberi* an vero *obligatorii* exercitii. — Hoc etiam merito quaeritur. Ex iuribus enim, alia quidem sunt huiusmodi, ut ab eorum exercitio possit quis abstinere, quale est e. g. ius defendendi vitam propriam etiam cum nece iniusti aggressoris (2); alia vero adiunctum habent officium eadem

(1) Suppl. q. 61. a. 1. Quo in articulo s. Thomas quaerit, utrum matrimonium sit naturale. — Distinguentes igitur inter *principium* iuris et eiusdem *titulum* (vide super. thes. II. pag. 31. et 35.), dicemus: *principium* dominii privati in re aliqua peculiari esse legem naturalem, *titulum* vero esse factum aliquod humanum e. g. occupationem vel emptionem, ob quod seu cuius intuitu lex naturalis concedit illi privato ius in illa peculiari re.

(2) Vide super. thes. XXII. pag. 246.

exercendi, quale e. g. est ius parentum ad prolis educationem (1).

Iamvero moralis illa potestas, de qua modo diximus, si praesertim de rebus stabilibus agatur, est ius liberi exercitii, cuius nimirum usui possunt singuli renuntiare. Natura enim seu naturalis lex approbat sane ac prorsus concedit omnibus, ut debito modo res etiam stabiles sibi proprias efficiant, non autem id omnibus et singulis mandat. Simili modo singulis quidem facit potestatem ineundi coniugium, non tamen id singulis praecipit: unde potest quis coniugali vitae caelibem praeferre (2). — Etenim ad pacem et prosperitatem humanae vitae, ad quam divisio rerum inter ipsos privatos est (ut vidimus) necessaria, hoc sane sufficit, quod multi dominia privata rerum stabilium habeant: quod habeant omnes et singuli, id non est possibile, nec si possibile esset, expediens foret ipsi humanae vitae.

Quamvis antem natura non imponat singulis obligationem exercendi hoc ius, quod confert ad res etiam stabiles acquirendas; tamen ius hoc a natura collatum semper plurimi reapse exercuerunt et semper exercebunt (idque ob validam illam, de qua diximus, naturae inclinationem ac maximam, quae ex dominio privato enascitur, delectationem), et sic numquam anteactis temporibus non extitit, itemque numquam in posterum non existet rerum

---

(1) Cf. super. thes. II. pag. 35. — Aliis verbis, aliquid in morali ordine potest a natura seu naturali lege dimanare tripliciter: — ut merum ius homini concessum — ut simplex officium homini impositum — ut ius simul et officium.

(2) Hac de re cfr. s. Thomam, supplem. q. 41. a. 2. Perpende rationem a s. Doctore allatam ad demonstrandum, matrimonium pro singulis non cadere sub praecepto, eamque nostrae huic quaestioni rite applica.

harum inter ipsos privatos divisio. Simili modo etsi natura ad matrimonialem vitam singulos non obliget; tamen ex naturalis inclinationis vi, *simul cum divina providentia quae omnia moderatur* (1), sicuti semper fuerunt, ita semper erunt plurimi, qui coniugalem vitam eligant, et sic debita generis humani multiplicatio numquam cessabit. Quare quemadmodum quoad hoc, i. e. propagationem humani generis, *nullum periculum imminet* (2) ex eo quod de coniugio ineundo non sit pro singulis obligatio; ita etiam non imminet quoad rerum stabilium inter ipsos privatos divisionem: haec, quae ad pacem et prosperitatem humani generis est adeo necessaria, semper existet. — Unde illud etiam consequitur, aliquo vero sensu dici posse, dominia privata esse a natura immediate, non solum *in potentia* sed etiam *in actu* spectata, nimirum si *indeterminate* seu *in genere* considerentur. Scilicet, quod multi dominia privata habeant, hoc est opus ipsius naturae: ut ipsius naturae opus est, quod multi sint in vita coniugali (3).

---

(1) Verba sunt s. Thomae, loc. nunc cit. in respons. ad 3ᵐ.

(2) Hisce verbis s. Thomas responsionem mox citatam absolvit. — Deus naturae auctor id, quod ab hominibus fieri vult, obtinet vel *per praecepta*, vel etiam sine praeceptis unicuique impositis *per stimulos* i. e. inclinationem ad quosdam actus delectationemque iis adnexam.

(3) Ex hactenus dictis facile intelliges ea, quae subiicimus ex Lessio, de iust. et iure l. III. c. 5. dub. 3.: « Divisio rerum *in genere* est iuris gentium, non autem huius vel illius rei variis personis particularibus facta attributio .» — Scilicet quod, *in genere* loquendo, non omnia sint omnibus communia, sed alius sive homo sive familia unam rem possideat, alius vero aliam, hoc sane est immediate ab ipsa natura, hoc sane est de ipso iure naturali seu de *iure gentium* (vide ea, quae de hoc loquendi modo diximus vol. 1. p. 281. adnot. 1.) Quod autem, loquendo *in specie*, hic ager sit tuus, ille alter sit meus, haec domus mihi sit propria, illa vero ad te perti-

Quaerenti igitur, utrum dominia privata sint a natura *immediate* an vero *mediate*, paucis sic respondemus: — sunt *mediate*, si considerentur *in actu* et insuper *determinate* — si considerentur *in potentia*, vel etiam *in actu* sed *indeterminatè*, sunt a natura (eo, quem diximus, sensu) *immediate*.

Pars altera. I. Restat inquirendum, quaenam sint *facta*, quibus naturale illud ius acquirendi res applicatur actu, seu ex indeterminato atque abstracto fit determinatum et concretum in hac vel illa re peculiari. — Distinguimus autem factum *primigenium*, quo res nullius dominio subiecta primo fit alicuius, et facta *secundaria*, quibus res dominio unius iam addicta transit in dominium alterius.

II. *Occupatio* est factum *primigenium*, quo mediante res, quae actu nullius erat, primo fit alicuius. — Nomine occupationis intelligitut, realis apprehensio rei, *cum animo eam sibi acquirendi*. Quae postrema verba merito adduntur. Neque enim illiusmodi animus rem secum ipso connectendi toties adest, quoties aliqua res quomodocumque apprehenditur. E. g. deesset in eo, qui iter faciens sisteret in campo (quem domino expertem esse supponimus), ibique quiesceret aliquo temporis spatio, quo elapso rursus in viam se committeret: contra adesset in eo, qui campum illum conspicatus, suam ibi in-

---

neat, hoc solummodo mediate pendet a natura, i. e. consequenter ad factum aliquod humanum et contingens. — Similiter res se habet in dominio *iurisdictionis*. Quod, loquendo *in genere*, in civili societate aliquis imperet, alii subiecti sint, seu quod sit divisio civium in subditos et imperantes, hoc profecto est immediate ab ipso Deo naturae auctore. Quod autem Titius sit ille, qui imperet, potius quam Caius, qui e contrario illi alteri subesse teneatur, hoc non est a natura nisi mediante aliquo humano facto, puta consequenter ad electionem legitimam Titii in principem seu regem.

dustriam exercere decerneret, huiusque suae determinationis signa figeret per casam quam ibi exstruit, aut sepem quam ei circumducit. Quare hic quidem alter, non autem ille prior, factum *occupationis* poneret.

Iamvero, ut in Iure Romano (1) legitur, « quod ante nullius est, id *naturali ratione* occupanti conceditur. » — Et sane quidnam tandem est naturale illud ius, quod homini inesse diximus, res etiam stabiles sibi acquirendi? Est potestas facta homini, ut res (quas natura decrevit nemini immediate, i. e. sua, ut sic loquar, manu, attribuere seu applicare) ipse suis capiat manibus, ipse suarum usu potentiarum sibi applicet, uno verbo *occupet*, eoque occupationis actu, *dummodo sine alterius iniuria fiat,* sibi proprias efficiat: nulla vero fit alteri iniuria, ubi de rebus agitur, quae actu nullius sunt. Haec porro confirmantur dupliciter: i. e. tum ex unanimi omnium hominum consensu, tum etiam ex instinctu, quo omnes homines naturaliter feruntur ad res, quas primi sine alterius iniuria occuparunt, servandas, easque si impetantur defendendas, si ablatae fuerint repetendas tamquam suas (3).

---

(1) Instit., *de rerum divis.*, §. 12. — Cfr. locum Ciceronis paulo ante allatum pag. 280. Idem auctor, de fin. bon. et mal. III. 280., « quemadmodum, inquit, theatrum, quum commune sit, recte tamen dici potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit, sic in urbe mundove communi non adversatur ius, quominus suum quidque cuiusque sit. »

(2) Vide ea quae de voce, *mancipium*, diximus supra pag. 244. adnot. II.

(3) Apte Taparelli, *saggio teoret.* diss. II. cap. IV. num. 403.: « Osservate due fanciulli, che corrono a gara per afferrare un pomo: il vincitore che ne avrebbe portato in pace la perdita se fosse stato prevenuto dal competitore, con qual senso di sdegno sel vede rapire, se questi abusando di una forza superiore glielo voglia strappar di mano. »

Recentiores aliqui oeconomistae agentes de facto *primigenio*, quo mediante in hoc vel illo homine actuale dominium rei determinatae enascitur, *occupationis* loco ponunt laborem seu industriam, i. e. *specificationem* rei. Id autem, si in mero naturae iure sistamus, admitti nequit. Labor enim iste praesupponit dominium proprietatis in materiam, circa quam industria adhibetur, necnon in instrumenta, quibus eadem exercetur. — Utique, si facto legitimae occupationis rei accedat etiam hoc aliud factum industriae ac laboris circa rem adhibiti ad novam illi speciem seu augmentum superaddendum, occupans validiori ac duplici quodam titulo ius in rem illam habebit. Unde graviori afficietur iniuria, si ab eo res illa auferatur: siquidem ipso fructu sui ingenii suarumque manuum privabitur.

III. Facta autem *secundaria*, quibus res a dominio unius transit in dominium alterius, sunt multiplicia. — Factum, quo ab uno in alterum transit dominium, interdum est *derelictio* rei: quando scilicet primus possessor, voluntate rem sibi retinendi deposita, abiicit rem, quae proinde dicitur *derelicta* et fit primi occupantis.

At factum, per quod fit dominii translatio, est multo frequentius *contractus* aliquis, donationis e. g. vel venditionis, cum altero initus ad rem efficiendam *alienam*. — Huiusmodi contractus rerumque permutationes seu commercia sunt prorsus secundum naturam: *primo* quidem quia non sunt nisi exercitium iuris, quod dominus a natura habet, utendi et disponendi de re sua, prout vult: secundo autem, quia saepe exiguntur a natura *fundi* aut *fructuum*. Nimirum, fundus saepe fit primo possessori minus utilis vel etiam inutilis. Fructus frequenter ei redundant: eorum igitur partem suppeditabit alteri, aliis quibus indiget rebus ab eo acceptis.

Dominii translatio non semper est, ut in duobus

praedictis casibus, *voluntaria:* quandoque etiam est *necessaria*, i. e. alia consequens facta, praeter vel etiam contra ipsius domini consensum. — Exemplo sit factum *sententiae* iudicis seu principis civilis, statuentis quod in illatae iniuriae reparationem dominium rei alicuius a laesore in laesum transeat.

84. Scholion. Quonam igitur sensu debet intelligi illud, quod dici solet, *in prima rerum origine bona omnia extitisse communia?*

I. Nos (ut ex tota huius theseos demonstratione manifeste patet) intelligimus, bona omnia ab initio fuisse communia communione *negativa* (1). — Scilicet, in prima rerum creatione natura nulli sive homini sive hominum communitati rem ullam in particulari applicuit, sed introduxit homines in mundum, pluribus variisque bonis refertum, ut singuli acciperent et accipiendo facerent sua ea, quibus indigerent. Quare ab initio antecedenter ad quodvis humanum factum res erant sub diverso respectu *omnium* et *nullius*. Erant omnium *potentia:* quatenus omnibus facultas inerat, et quidem ab ipsa natura, res occupandi sibique acquirendi, priusquam ab aliquo essent occupatae. Erant nullius *actu:* quatenus antequam aliquis rem aliquam apprehenderet, nemo dicere poterat, *haec res est mea, illa est tua* (2).

---

(1) Ballerini, in adnot. ad tract. p. Gury de iust. et iure ab init., haec habet: « In prima rerum origine, bona omnia extitisse communia, non sic intelligas, quasi homines tunc in communi seu in solidum ea possiderent (en communio *positiva*, quae excluditur), sed quatenus cum nullius adhuc dominio subiicerentur, poterant a quolibet occupari (en communio *negativa,* quae admittitur). »

(2) Ineptum est hoc quorumdam effatum: primi homines, ut vacuam acceperunt, ita debuissent vacuam relinquere terram successoribus. — Nam primos homines accepisse terram *vacuam*, significat, eos terram accepisse, domino quidem expertem, sed etiam

II. Non desunt profecto auctores, qui effatum illud alio modo intelligant, et admittant bona omnia ab initio fuisse communia communione *positiva.* — Hoc autem non eodem omnes modo concipiunt et explicant.

Mitto α) eos qui affirmant, bona omnia ita ad omnes actu tunc pertinuisse, ut humana communitas naturali lege teneretur permanere in tali positiva bonorum communione. — Haec enim est sententia *communistarum*, excludens privata dominia utpote naturali legi contraria, quam sententiam satis in praecedente thesi refutavimus.

Alii β) asserunt, omnia terrae bona ita actu pertinuisse ad omnes collective homines, ut tamen communitas posset, naturali lege id omnino concedente, inducere dominia privata si haec viderentur utilia, immo deberet inducere si ea evaderent necessaria. Et reapse vix ac numerus hominum caepit augeri, communitas, publica quiete ac prosperitate sic exigente, statuit et decrevit, bona in medio ponere ita ut iam essent *actu* nullius et in posterum fierent primi occupantis. — Haec est sententia, quam auctores aliqui, iique graves etiam ac docti, sequuntur. De qua sententia duo haec subiicimus.

Animadverte 1°.) cum Card. de Lugo (1): « Id, quod dicunt, divisionem non potuisse fieri absque decreto aliquo vel communitatis vel principis habentis potestatem supra communitatem (2), *durissimum* videtur. Seclude enim

---

nudam et incultam. Nonne satius successoribus est, terram accipere excultam et florentem? — Adde generationes interseri, non autem, ut in effato illo supponi videtur, simul et semel occumbere.

(1) Loc. iam saep. cit. num. 4.

(2) Id sane debet in hac sententia, secus ac in nostra, dici. *Independenter a decreto seu consensu communitatis*, nullum tunc poterat enasci privatum dominium ex rei occupatione, itemque ex industria circa rem occupatam adhibita, nullus tunc fuisset titulus sufficiens ad proprietatem privatam inducendam.

omne decretum et leges ipsius etiam Adami. Peto si aliquis propria industria, labore et arte depinxisset pulchram imaginem aut bellam statuam sculpsisset, nonne ipso iure naturae imago vel statua fuisset in dominio artificis, ut nonnisi furto posset ab eo invito auferri? Quis hoc neget? Item, si aliquis propria industria gregem sibi ovium vel gallinarum procreasset, nonne illa animalia essent iure naturae in eius dominio? An necessarium peculiare fuit Adae decretum, ut greges pecorum, quae Abel pascebat, sui essent, vel ut segetes, quas Cain sua cultura colligebat, essent suae. Ergo ipsum ius naturae ante omnem legem positivam humanam dividere poterat dominia, et de facto dividebat. Unde sine ullo tali decreto provinciae et agri esse potuissent primi occupantis. » — Ob hanc, aliasque etiam rationes (cuiusmodi est, nullum omnino primaevi illius pacti seu decreti exstare vestigium), a praedicta sententia recedimus.

Animadverte 2°.) discrimen maximum, quod intercedit inter sententiam hanc et theoriam communistarum. Affirmant communistae, legem naturalem praecipere ut omnia possideantur communiter, vetare ne quid privati habeant sibi proprium: hoc autem non asseritur, immo aperte negatur in hac, de qua modo loquimur, sententia. Cum autem tantum discrimen intersit; consequitur, ea omnia, quae de systemate communistarum diximus, quod scilicet sit systema rectae rationi ac publicae quieti et ipsi humanae vitae prosperitati directe contrarium, non posse de hac sententia repeti. — Demus iuxta sententiae huius placita decretum seu pactum, quo primi illi homines a positiva bonorum communione recesserunt. Profecto standum est pactis: iisque praecipue, quibus tamquam fundamentis universa iam societas innititur: iis, ad quae ineunda homines compulit necessitas publicae quietis ac prosperitatis. Haec necessitas nunc perdurat, immo est

maior, quam illis esset temporibus: si ergo primos illos homines impulit ad ea pacta ineunda, multo magis nos ad ea retinenda ac servanda debet impellere. Numquam sane omnes et singuli homines consentirent (1), ad ea, quae propria habent, in commune ponenda: (id autem requireretur, ut a primaevo illo pacto resilire liceret). Si tamen fingamus, omnes et singulos esse ad id efficiendum paratos, ordo publicus, qui totus statim everteretur, vetaret ne id exsequerentur. — Sed hanc thesim concludamus.

Quaerenti *primo*, quomodo ab initio facta fuerit bonorum divisio, respondemus, factam fuisse ex simplici occupatione rerum communium (idest, nondum occupatarum) independenter etiam a decreto seu pacto, quo opus non fuit, communitatis. — « Hoc, ait Gury (2), verisimilius omnino apparet. Videtur enim ille modus divisionis bonorum, nempe per occupationem, valde naturalis et facillimus, dum alii difficultatibus non paucis subiiciuntur. »

Quaerenti autem *secundo*, quomodo res iam ab uno occupata, transierit in dominium alterius, respondemus plura assignando facta, praecipue vero contractus, e. g. donationis sive *inter vivos* sive *per testamentum*, venditionis etc.

---

(1) In Aristophanis comoedia, de qua paulo prius mentionem fecimus, sic vir aliquis, decreto Praxagorae audito, inducitur loquens: « Putas civem aliquem sua delaturum, qui saltem vel pauxillum mentis habeat? Neque enim e more nostro istuc est: sed nos capere tantum oportet, ita me Iupiter amet. Quippe et ita dii solent: id autem ex illorum manibus nosces: simulacra enim, quum fundimus preces, ut bona nobis largiantur, stant manu supina porrecta, non quasi quicquam datura, sed ut aliquid accipiant. »

(2) Loc. iam saepius cit.

Thesis XXVII.

I. *Ex contractibus valide initis naturalis oritur obligatio, vel ex utraque parte vel ex alterutra tantum, prout onerosi sunt vel gratuiti.* II. *Dantur autem conditiones ipso naturali iure necessariae ad contractuum validitatem.* III. *Porro obligatio ex contractu orta potest pluribus ex causis deficere.*

85. Praenotiones. Diximus, factum *praecipuum*, per quod fit dominii translatio, esse *contractus.* Hinc rectus ordo exigit, ut breviter hic de contractibus agamus. Duo autem in primis trademus: — *quid sit* contractus — *quotuplex sit* contractus.

I. Contractus est conventio, per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum vel faciendum vel omittendum. Exemplo sint *locatio*, in qua usus alicuius rei pretio conceditur: *mandatum*, in quo quis ex officio aut amicitia negotium alterius sibi demandatum sine ulla mercede gerendum suscipit, ac si de re sua ageretur.

II. Contractus dividuntur multipliciter: praecipuas tantum divisiones paucis innuemus.

α) Contractus dividuntur in *onerosos* et *gratuitos* (1). — Etenim ex contrahentibus vel uterque invicem vel alte-

---

(1) Contractus *onerosi* praecipue sunt: permutatio, emptio et venditio, locatio et conductio, emphyteusis, census etc. Contractus *gratuiti* sunt: promissio, donatio, commodatum et precarium, depositum et sequestrum, mandatum et gestio negotiorum, mutuum. Contractus bilateralis dicitur etiam *synallagmaticus*, ex verbis graecis σύν cum et ἀλλάσσω permuto.

ruter alteri se obligat ad aliquid dandum, faciendum aut omittendum. Si primum, contractus dicitur onerosus vel etiam bilateralis: sin alterum, contractus dicitur gratuitus vel unilateralis. Sic *locatio* est contractus onerosus: *mandatum* autem est contractus gratuitus.

β) Dividuntur etiam in *nominatos* et *innominatos*. — Scilicet, vel nomen proprium in iure habent, vel non habent. Si primum, dicuntur nominati, cuiusmodi est e. g. *venditio*. Sin alterum, dicuntur innominati: praecipui innominati sunt, *do ut des*, *do ut facias*, *facio ut facias*, *facio ut des*.

γ) Dividuntur quoque in *conditionatos* et *absolutos*. — Etenim contractui vel a paciscentibus apponitur conditio aliqua, vel non apponitur. Si primum, contractus est conditionatus: sin alterum, est absolutus. Sic *promissio*, qua quis alteri se obligat ad dandum ei centum aureos, est absoluta, si nulla adiiciatur conditio: est conditionata, si conditio aliqua addatur, v. g. si felici itinere in Angliam perveniam vel incolumis e tali periculo evadam.

δ) Dividuntur etiam in *expressos* et *tacitos*. — Etenim consensus vel explicite manifestatur, vel solum implicite. Si primum, contractus est expressus: sin alterum est tacitus. Sic *mandatum* est contractus expressus: *negotiorum gestio*, qua quis absentis et ignorantis negotium utiliter gerendum suscipit ex eius commissione rationabiliter praesumpta, est contractus tacitus.

Hisce breviter praemissis, veniamus ad thesim, quae, ut ex eius enunciatione clare patet, tres habet partes.

86. Demonstratio. I. Multa dantur iura *alienabilia* (1): tale ius, per se loquendo, est dominium pro-

---

(1) Vide ea, quae de hac iurium divisione diximus super. thes. II. pag. 36.

prietatis. Qui est dominus rei alicuius, is sane potest de re illa sua disponere, prout vult: potest ergo eam rem alienare alteri. Si igitur hanc potestatem velit exercere seu si consentiat in rei illius alienationem, et alter in eiusdem rei acceptionem conveniat; iam, consensu ex utraque parte dato, alter naturaliter in eam rem ius habet. Hoc autem ius omnes debent agnoscere ac revereri, ille in primis qui eam rem facere alienam seu cedere voluit. Hoc sane debitum seu obligationem hanc ei imponit naturalis illa lex, quae praecipit ut servetur iustitia, illudque proclamat principium, *unicuique suum*. Restat igitur, ex contractu naturalem oriri obligationem recognoscendi in altero ius in eam rem, de qua conventio facta est, illudque ut inviolabile habendi. — Illud autem ex dictis patet, hanc obligationem vel ex utraque parte exsurgere vel ex alterutra tantum, prout contractus est *onerosus* vel *gratuitus*.

II. Haec tamen obligatio non oritur nisi ex contractu, cui nulla desit ex iis conditionibus, quae ad eius *validitatem* requiruntur. Quaeres, quaenam sint hae conditiones? Respondeo, alias quidem determinari ipsa lege naturae, alias vero adiici legibus positivis (1). Nos autem breviter exponemus eas tantum conditiones, quae *primo* exiguntur ab ipso iure naturae, quae *secundo* sunt omnibus in genere contractibus communes. Porro ex hisce conditionibus aliae respiciunt *materiam* contractus, aliae *personas* contrahentes, aliae *consensum*. Scilicet, ut contractus sit validus, requiruntur haec tria: debet esse — materia *apta* — subiectum *capax* — consensus *legitimus*.

---

(1) Hac de re lege Suarez, de leg. l. V. c. 19. n. 1., ubi ostendit, hanc potestatem principi competere — quia non repugnat legi naturali — et alioquin expedit ad commune bonum reipublicae.

α) Nomine *materiae* intelligimus id, circa quod versatur contractus. Iamvero materia, ut sit *apta*, debet esse *possibilis* et *honesta, propria contrahentis*, *certa* et *determinata*. — Debet esse possibilis et honesta: siquidem ad impossibile et ad inhonestum nulla potest dari obligatio. — Debet esse propria contrahentis: quia nemo potest transferre in alium id, quod non habet ut suum. — Debet esse certa et determinata: secus enim contractus esset, ut dici solet, vagus et illusorius.

β) Nomine *subiecti* intelligimus personas, quae contractum ineunt seu inter se paciscuntur. — Iamvero subiectum, ut sit *capax*, debet esse *libero rationis usu praeditum:* qui eo caret, nequit rerum suarum dominium transferre et obligationes in seipso suscipere (1). Aliis verbis, contractus est actus humanus, voluntarius et liber. Hinc contrahere nequeunt pueri qui rationis usum nondum habent, amentes et furiosi, perfecte ebrii.

γ) Nomine *consensus* intelligimus, non quidem merum voluntatis propositum, sed actum eiusdem efficacem, quo res vel ius ab uno remittitur et accipitur ab altero. Iamvero consensus, ut sit *legitimus*, debet esse *verus* et *internus*, *mutuus*, *externus*, *deliberatus*. — Debet esse verus et internus: siquidem obligatio contractus oritur a sola contrahendi voluntate. — Debet esse mutuus: contractus enim est conventio duorum vel plurium, et proinde si sit onerosus requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio, si sit gratuitus requiritur ex una parte cessio et ex altera parte acceptatio. — Debet esse externus: uterque enim paciscens debet voluntatem alterius perspectam habere, nec potest sane cognoscere nisi ea signo aliquo externo fiat manifesta. — Debet esse deliberatus: agitur

(1) Cfr. super. thes. II. pag. 37.

enim de iuribus alienandis et obligationibus in se suscipiendis.

III. Obligatio ex contractu orta potest pluribus modis deficere. Ut hos modos breviter ac generali quadam ratione innuamus, contractus potest deficere vel *ab extrinseco* vel *ab intrinseco*: — ab extrinseco, vi potestatis competentis, quae contractum irritum faciat: — ab intrinseco, ob defectum seu mutationem ex parte sive materiae sive contrahentium, ut si materia evadat physice impossibilis aut inhonesta, vel mutetur status e. g. donatoris aut promissoris (1), qui fiat e divite pauper.

87. Scholion. Contractus initi ex *errore* aut ex *metu* sunt validi necne? Haec etiam quaestio nobis est pertractanda, modo tamen generali, non descendendo ad singulos contractus in specie: nominatim praescindimus a contractu matrimoniali, qui plura habet sibi propria.

I. Quod spectat ad *errorem* (2), haec animadverte. — 1°.) Error versatur vel circa contractus *substantialia*, ut si e. g. vitrum pro gemma emas aut cuprum pro auro, vel circa contractus *accidentalia*, ut si e. g. illum cum quo contractum venditionis inis existimes erronee esse pauperem aut tuum esse consanguineum. — 2°.) Error vel oritur ex *fraude* seu dolo alterius contrahentis vel non. — 3°.) Error vel est *antecedens* seu dans causam contractui, vel *concomitans* seu non dans causam contra-

---

(1) S. Thomas, 1. 2. q. 110. a 3. ad 5m., haec habet: « Ut Seneca dicit, in l. 4. de benef. c. 34. et 35., ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus, nec etiam est infidelis non implendo quod promisit, quia eaedem conditiones non exstant. »

(2) Cfr. ea quae de errore diximus super. vol. 1. thes. XV.

ctui. — 4°.) Contractus autem vel est *gratuitus* vel *onerosus*.

Iamvero error circa substantialia contractus reddit consensum ac proinde contractum nullum.

Error circa accidentalia contractus, si fuit antecedens seu causam dedit contractui, reddit invalidos vel saltem rescindibiles contractus gratuitos: hi scilicet ex propria natura requirunt plenum voluntarium et omnimodam spontaneitatem. — Secus dicendum est de contractibus onerosis: siquidem ex una parte consensus adest, ex alia vero parte facultas rescindendi huiusmodi contractus propter hos errores, qui adeo frequenter contingunt, esset humano commercio nimis damnosa. Excipe casum, in quo error ortus sit ex fraude vel dolo alterius contrahentis: hic enim tali in casu tenetur ex iustitia reparare iniuriam illatam, neque haec reparari potest, nisi contractus evadat nullus vel saltem rescindibilis.

II. Ad *metum* (1) quod attinet, haec animadverte. — 1°.) Metus vel *tollit* voluntarium vel non. — 2°.) Metus vel *gravis* est vel *levis*. — 3°.) Metus vel fuit *iniuste incussus ab altero contrahente in ordine ad extorquendum consensum*, vel non. — 4°.) Contractus vero est vel *gratuitus* vel *onerosus*.

Si metus tollit voluntarium, tunc manifeste nullus est consensus, ac proinde nullus est contractus sive gratuitus sive onerosus.

Si metus non tollit voluntarium, et est gravis, isque iniuste incussus a comparte in ordine ad extorquendum consensum, tunc contractus sive gratuiti sive onerosi sunt ex omnium sententia rescindibiles arbitrio eius, qui metum passus est: alter enim qui metum incussit tenetur

(1) Cfr. ea, quae de metu diximus super. vol. 1. thes. XVII.

ex iustitia rem in pristinum suum statum redintegrare, neque hoc fieri potest, nisi contractus sit rescindibilis. Porro quamvis sint rescindibiles, tamen sunt validi, eo quod consensus adsit: haec est sententia *unanimis* quoad contractus gratuitos, sententia *communior* quoad contractus onerosos. — Utrum vero contractus onerosi sint rescindibiles, quando metus incussus non fuit a comparte sed a tertia persona, vel non ad extorquendum consensum, controvertunt doctores.

Si metus sit levis, contractus gratuiti sunt certe rescindibiles, ac probabilius etiam invalidi: contractus vero onerosi nec invalidi sunt nec rescindibiles.

Thesis XXVIII.

A veritate longe aberrant, tum ii qui aiunt ipsam naturam singulis hominibus immediate concedere actuale rerum omnium dominium, tum ii qui contendunt inaequalem, quae inter privatos viget, rerum partitionem esse naturali legi contrariam.

88. Demonstratio. Illos iam satis impugnavimus, qui sententiae Communistarum adhaerentes dominia privata prorsus excludunt, tamquam naturali legi contraria.

Alii sunt, qui privata quidem dominia non reiiciunt, sed tamen — vel ea nimis exaggerant, aientes cum Hobbesio, singulos homines ab ipsa natura immediate accepisse ius in omnia, cum potestate excludendi ceteros a cuiuscumque rei usu, — vel eadem nimis coarctant, affirmantes, inaequalem, quae inter privatos viget, partitionem bonorum esse iniquam ac proinde e medio prorsus tollendam. Hos refellimus in hac thesi, quae proinde duas complectitur partes.

Pars prior. Consideremus *primo* theoriam Hobbesii. Auctor hic, ut iam diximus, affirmat, unumquemque hominem a natura immediate habere dominium plenum supra res omnes, ita ut unusquisque possit ab usu et dispositione cuiuscumque rei ceteros excludere. Hanc sententiam, quae penitus absurda est, paucis refellemus.

1°.) Arguere ex iis possumus, quae demonstravimus in thesi vigesima sexta. Tantum abest, ut natura immediate dederit singulis hominibus actuale in res omnes ius, ut e contrario dici debeat, ipsam naturam nemini immediate dedisse actuale dominium rei ullius in particulari. Hoc actuale rei determinatae dominium debet unusquisque sibi procurare rationabili et iusto propriae activitatis exercitio (1).

2°.) Animadverte insuper cuiuscumque hominis indigentias esse valde finitas: non omnia sane terrae bona requiruntur, ut iis satisfiat. Cur igitur hisce adeo finitis indigentiis explendis natura hominibus singulis ut propria attribuisset omnia prorsus terrae bona? Stulte profecto egisset. Sed hoc dicere, naturam insipienter operari, absurdum est et impium.

3°.) Ex alio etiam capite insipienter egisset natura. Etenim singulis hominibus dedisset simul et non dedisset ius ad res externas. Dedisset, ut in hac theoria asseritur. Non dedisset, quia singulis elargita esset facultatem, quam ceteri non tenerentur agnoscere ac revereri tamquam inviolabilem: facultas autem, quam ceteri non te-

---

(1) Adde, quaedam ita esse naturaliter *communia,* ut nequeant fieri *propria*. Vide super. pag. 277. adnot. 2. Huc facit illud Tullii, pro Rosc. Amer. I. 2.: « ut cum ademerit nobis omnia quae nostra erant *propria,* ne lucem quoque hanc quae *communis* est, eripere cupiat. »

neantur revereri sicut inviolabilem seu cuius laesio non constituat iniuriam, non est ius.

4°.) Denique secundum hanc theoriam, quisquis rem quamcumque occupare vellet, iuste omnino ageret, vim etiam physicam adhibendo, sed iuste etiam ab alio per vim physicam impediretur, ne eam attingeret: uterque enim cum plena veritate diceret, *haec res non est tua sed mea, ob potestatem mihi a natura ipsa concessam utendi et disponendi de re hac.* En igitur conflictus seu lucta iusta ex utraque parte, non formaliter tantummodo, sed etiam materialiter: id autem, ut ostendimus superius (1), nullo modo locum habere potest.

Pars altera. Spectemus *secundo* theoriam de aequali bonorum partitione. Sunt nimirum, qui contendant res inter privatos dividi quidem posse, non tamen inaequaliter, i. e. non ita, ut alter sit ditior altero: hoc reiiciunt, tamquam naturali legi oppositum. Ad hanc theoriam refellendam duo illa aptari possunt argumenta, alterum *a posteriori*, alterum *a priori*, quibus usi iam sumus contra Communistas. Et cum ea aptare sit admodum facile, hinc paucis hanc etiam theoriam refutabimus.

1°.) Sicuti nunc viget, ita semper et ubique viguit partitio inaequalis bonorum inter privatos. Huius facti assignanda est *ratio*, eaque *adaequata*. Sed adaequata ratio facti huiusmodi, i. e. facti *universalis* et *constantis*, non potest esse nisi aliquid universale et constans in omnibus hominibus. Nihil autem est universale et constans in omnibus hominibus, nisi ipsa rationalis *natura*. Est igitur natura, quae hoc instituit et exigit, ut bona sint inter privatos divisa inaequaliter. — Cur, quaeres, id exigit?

2°.) Id scilicet natura exigit, quia est necessarium ad

---

(1) Vide super thes. VI. pag. 78. seqq.

humanam vitam. Est, inquam, necessarium — ob maxima *mala* quae secus orirentur — ob maxima *bona* quae secus tollerentur in communitate humana. Et sane, finge factam iam esse (id quod fieri reapse nequit, vel certe non sine innumeris iurgiis turbis ac caedibus) aequalem rerum inter privatos partitionem (1). Aequalitas haec semel inducta brevissimo temporis lapsu desineret: alii enim aliis naturaliter praestant corporis vel ingenii viribus, alii sunt aliis diligentiores, alii magis alii minus frugalitati student, alii laborem alii otium amant, alii plures alii pauciores filios habent etc. (2). Rerum igitur partitio erit rursus instituenda, ac iugiter in dies iteranda, ne inaequalitas illa, quae tollenda e medio est, denuo existat. Inde vero con-

---

(1) Huiusmodi aequalitas, inquiunt, poneret in civitate *maximam unitatem*. — Sed, ut recte notat Aristoteles, Politic. II. 3., civitas debet quidem habere unitatem, sed non unitatem *maximam*. Id autem ostendit, comparatione adhibita ex *symphonia*, ad quam habendam requiritur quidem unitas vocum, sed non omnimoda: si enim omnes voces sint eiusdem rationis, e. g. omnes graves vel omnes acutae, non erit symphonia, sed uniphonia. Item civitas debet esse una ex multis civibus, non *aequalis* sed *dissimilis* conditionis: ex iis enim alii debent esse artifices et quidem diversarum artium, alii debent esse in magistratibus et quidem diversis etc. — Iamvero dissimilis haec civium conditio, quae tantopere ad civitatem exigitur, maxime pendet ex inaequali rerum seu divitiarum partitione. Tolle hanc, redde omnes ex aequo divites: iam nemo volet esse artifex, praesertim quoad eas artes, quae ut maxime necessariae sunt, ita sunt maxime laboriosae et viles. — Huc aptari etiam possunt ea, quae de variis corporis humani membris habet s. Paulus Apostolus, I. Cor. XII.

(2) Dicitur frequenter: *homines sunt omnes naturaliter aequales*. — *Distinguo:* i. e. si spectes essentialia constitutiva, homines sunt omnes rationales, libero praediti arbitrio, paucis, omnes habent naturam humanam *concedo*, si spectes individuas determinationes, sunt omnes aeque magni, pulchri, docti, sani, virtuosi etc. *nego*. Cf. Taparelli, *saggio* etc. adnot. XLVI.

tentiones, iurgia, querelae, rixae, aliaque huiusmodi *mala* necessario orirentur. E contrario autem multa tollerentur *bona*, ac praecipue assiduitas illa ad laborem illaque scientiarum et artium diligens cultura, a quibus humanae vitae prosperitas dependet. Nullus enim adesset amplius stimulus privato labori et industriae: siquidem homines viderent, se, etsi magis in laborem incumbant et artibus scientiisque promovendis dent operam, non tamen idcirco plura esse consecuturos bona, sed proprii laboris fructum cum aliis, qui otiose vixerint, dividere debere (1). — Brevius: admissa aequali bonorum inter privatos partitione, actum omnino foret de *pace* et *prosperitate* humanae vitae. Sed hanc pacem et prosperitatem intendit ac vult natura. Ergo natura aequalem bonorum partitionem reiicit atque excludit: et e contrario omnino admittit atque approbat, quod bona sint inaequaliter inter privatos divisa. Patet ex dictis, quam merito *de aequatione bonorum* dixerit Tullius (2): « Hac peste quae potest esse maior? »

---

(1) Aristophanes in alia comoedia, cui titulus Πλοῦτος, inducit *Paupertatem* enarrantem bona, quae humano generi ipsa affert: « Si Plutus de integro cernat distribuatque aequaliter sese, nec artem ullam nec scientiam quisquam hominum colet. Ambabus autem istis per vos sublatis, quis volet ferrum cudere, aut naves compingere, aut vestes consuere, aut rotas facere, aut lateres coquere, aut vestimenta polire, aut coria macerare etc..... Ego tamquam domina assideo, cogens opificem, ut propter egestatem et penuriam quaerat unde victum habeat. » — Obiicienti autem sorditiem aliaque mala, quae comitari solent paupertatem, haec ita se se defendit: « Tu quidem meam vitam non memorasti: illam autem mendicorum exagitasti..... Mendici vita est, vivere nihil habentem: pauperis autem vivere parce, laboribus addictum; nihil quidem ei superesse, verum etiam nihil deesse. »

(2) De off. II. 21. — Aristoteles, Politic. II. 4., examini subiicit rempublicam Phaleae Chalcedonii, qui hoc induxit primus, *civium possessiones debere esse aequales*, idque ad vitandas seditiones. Multa autem, quae utiliter legentur, de hac sententia animadvertit.

Itaque res sint inter cives *divisae* et etiam divisae *inaequaliter*. Neque enim sententia de *communi rerum possessione* potest admitti, neque sententia de *aequali rerum divisione*. De utraque sententia (praeter ea omnia quae iam diximus) illud valet, quod de Republica Platonis dixit idem Tullius (1): « Princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumpsit, in qua civitatem exstrueret *arbitratu suo*, praeclaram ille quidem fortasse, sed *a vita hominum abhorrentem et a moribus.* »

89. Scholion. Ex iis, quae hactenus diximus, solvi potest quaestio, *de limitibus occupationis*: i. e. utrum sint et quinam sint fines, extra quos si occupatio se se porrigat, iam legitimum rei dominium minime acquiratur. — Ad occupationem autem (si praesertim eam distinguamus in *originariam* et *derivatam*) possumus reducere omnia tandem facta, quibus actuale dominium rei alicuius acquiritur. Per occupationem persona adiungit sibi rem aliquam, eique characterem imprimit propriae personalitatis.

α) Occupatio suis proculdubio coarctatur confiniis (2). — Qui hoc negaret, is tandem incideret in sententiam Hobbesii, quam in hac thesi refutavimus, quaeque eo demum redit, ut statuat privata dominia nullis esse circumscripta limitibus.

β) Occupatio non hoc sane limite coarctatur, *dummodo is, qui rem aliquam occupet, non evadat ditior altero.* — Qui hoc admitteret, is adhaereret theoriae, quam pariter in hac thesi reiecimus, de aequali rerum inter privatos partitione.

---

(1) De rep. II. 11.

(2) Vide super. pag. 283. Item cfr. thes. V. pag. 72. seqq., ubi de *limitatione* iuris diximus.

γ) Eos igitur habet limites, quos habet propria uniuscuiusque *activitas*, a qua scilicet occupatio dependet. Haec autem activitas suos profecto habet limites tum *physicos*, tum etiam *morales*. — Ea sane, quamvis absolute tantum seu in semetipsa consideretur, est in nobis singulis finita: alios insuper reperit limites in variis illis propensionibus seu inclinationibus, quibus ad alia obiecta prosequenda impellimur: limites etiam accipit ex variis adiunctis animi, corporis, temporis, loci etc., in quibus versamur. Sed hi limites sunt *physici* potius quam *morales*. Hos morales limites magis habet ex activitate aliorum, quibuscum vivimus. Horum enim activitatem nostra activitas non impedit. Inde autem fit, ut interdum quidem alii nos sequantur, saepe vero melius ac felicius suam exserentes activitatem nos praevertant in licita occupatione alicuius rei: quo in casu iam nostra activitas *moraliter* impeditur, quominus circa rem illam se exerceat licite ac valide. Illud insuper iam animadvertimus (1), quasdam esse res quae a nemine possunt ita occupari, ut ius acquiratur excludendi alios ab earum usu. Adde, ius proprietatis, facto legitimae occupationis acquisitum, posse in conflictum venire cum aliquo alio iure, et quidem ita ut in tali collisione suum actu non servet robur, sed quoad exercitium suspendatur (2). Itaque propria uniuscuiusque activitas, a qua occupatio dependet, praedictos et *alios* etiam habet limites sive physicos sive morales.

Quaeres: utrum occupatio habeat etiam limites ex parte Principis civilis, cuius potestati subdatur. Aliis verbis quaeri potest, utrum supremae potestatis subiecto com-

(1) Vide super. thes. XXIV. pag. 277. adnot. 2).

(2) Hac etiam de re diximus super. thes. VI.

petat ius in privata civium dominia sive per occupationem adhuc acquirenda, sive iam per occupationem acquisita. Hoc autem quaeritur merito. Haudraro enim fit, ut natura det quidem homini ius aliquod, non tamen prorsus determinatum quoad limites ac modum exercitii, sed sub hoc respectu determinabile ab auctoritate sociali: homo enim est natura sua ordinatus ad vitam socialem, in eaque debet iura sua exercere et explicare. De hac quaestione (in qua solvenda, duo debent vitari — ne plus quam par est auctoritati sociali tribuatur — ne minus quam par est eidem relinquatur) breviter dicemus in thesi sequente.

Thesis XXIX.

A veritate etiam aberrant Socialistae, qui asserunt, supremo societatis moderatori quamdam veluti omnipotentiam competere in privata civium dominia, de quibus scilicet possit semper et pro libito disponere.

90. Praenotiones. Dominia privata impugnantur a duplici adversariorum acie, nimirum magis aperte a *Communistis*, et minus aperte, non tamen minus periculose, a *Socialistis* (1). Communistae, de quibus iam satis fuse diximus, communitati *exclusive* attribuunt ipsum dominium rerum; hi omne dominium privatum tollunt uno ictu, i. e. illo effato, proprietas est latrocinium. Socialistae au-

(1) Saepe tamen in sermone familiari confunduntur simul Communistae et Socialistae. — Nec immerito. Nam duo haec systemata ad unum eumdemque finem tendunt, et si reciperentur unum eumdemque tandem gignerent effectum, *destructionem dominii privati*: diverso tramite, eumdem spectant terminum.

tem societati seu statui attribuunt omnipotentiam quamdam in privata civium dominia, ita ut de iis supremus imperans possit pro arbitrio disponere, et *valide* semper disponat quidquid faciat et quamvis absque causa faciat. — Altera haec sententia innititur hoc principio, privata civium dominia oriri a politica auctoritate tamquam a fonte, seu ab ipsa procedere tamquam a prima causa efficiente.

91. DEMONSTRATIO. Huiusmodi socialistarum opinio est falsa. Nam falsum omnino est principium illud, in quo ut in sua basi fundatur. Dominii privati fons et origo, ut ex dictis patet, est ipsa natura, quae antecedenter ad civilem societatem tale ius concedit individuo et familiae (1).

Et re quidem vera vel sermo est *de iure sibi acquirendi dominium rerum*, vel sermo est *de actuali dominio rei alicuius determinatae*. Quod spectat ad ius sibi acquirendi dominium rerum, hoc ius ab ipsa natura immediate conceditur privatis: ita est naturale, ut sit in quovis homine *ingenitum* seu *nativum* (2). Quod autem spectat ad actuale rei alicuius dominium, hoc enascitur a praedicto iure, accedentibus seu mediis quibusdam humanis factis. Haec facta sunt plura: unum est *primigenium*, cetera sunt *derivata*. — Factum primigenium est *occupatio* rei, quae

---

(1) Hinc commune est auctoribus affirmare, dominia privata esse de iure naturali, de *iure gentium*. Vide ea, quae de hoc loquendi modo diximus vol. 1. pag. 281. adnot. 2ª. De eodem loquendi modo cf. Bellarminum, de clericis cap. 29., ubi clare vis et ratio locutionis illius explicatur.

(2) Ut inquit Taparelli, *saggio* ecc. diss. 2. cap. 4. num. 408., « ciò che un essere ha nel primo suo nascere, forma il suo stato *natio:* ciò che gli compete secondo il suo svolgimento compiuto, forma il suo stato *naturale.* » Cfr. super. thes. II. pag. 35.

nullius est. Iamvero non est lex civilis, sed lex naturalis, quae occupationi tribuit talem vim: seu, non est lex civilis, sed lex naturalis, quae hoc statuit, actuale dominium rei quae nullius est acquiri per occupationem. « Quod ante nullius est, sic legimus in Iure Romano, id *naturali ratione* occupanti conceditur. » – Inter facta derivata locum *praecipuum* tenent *contractus*. Rursus autem non est lex civilis, sed lex naturalis, quae contractibus tribuit talem vim: seu, non est lex civilis, sed lex naturalis, quae hoc statuit, actuale rei alicuius dominium ab uno in alterum transferri per donationem, venditionem etc.

92. Scholion. Dices: Nonne lex civilis statuit, actuale rei alicuius dominium acquiri per *praescriptionem?* Nonne eadem lex statuit contractus, nisi tali vel tali modo fiant, esse invalidos ad dominii translationem efficiendam ? — Respondeo: Ex his aliisque, quae addi possent, non sequitur, principi civili competere omnimodam illam in privata civium dominia potestatem, quam Socialistae ei attribuunt: hoc sequitur tantummodo (quod non est profecto negandum), eum non omni in privata civium dominia destitui potestate (1). Ad rem faciunt haec Card. de Lugo (2) verba: « Naturalis ratio dictat, in circumstantiis praesentibus naturae lapsae et hominum multitudinis ne-

---

(1) Hinc auctores duplex distinguunt dominium, *humile* et *altum*. — Humile est dominium privatorum in res legitimo facto sibi acquisitas. — Altum est ius, quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando de bonis privatorum ob necessitatem boni communis. In quo iure exercendo debet princeps haec cavere: α) adesse reapse debet necessitas boni communis: β) rationem necessitatis non debet excedere: γ) vitare debet acceptionem personarum: δ) illata damna, quoad eius fieri potest, compensare.

(2) De iust. et iure disp. VI. sect. 1. num. 5.

cessariam esse divisionem. Modus tamen illius non est complete de solo iure naturae, sed pendet saltem negative a iure humano: non solum quia multi modi acquirendì et perdendi ac transferendi dominium introduci possunt et de facto introducti sunt iure mere humano; sed etiam quia illi alii modi acquirendi dominium, qui videntur naturae iure introducti, adhuc saltem negative pendent a iure humano, quatenus potuerunt iure humano impediri, sicut de facto impeditur, ne thesauri dominium acquiratur inventori privato, et plures redduntur iure humano incapaces acquirendi dominium. »

Quae ut clarius intelligantur, iuverit haec pauca addere. Circa privata civium dominia, princeps civilis potest ac debet haec duo praestare: nimirum — ea legibus suis *tueri* et *adiuvare* — eademque legibus suis *coordinare* ad bonum commune.

1°.) Potest ac debet *tueri* proprietatis ius ne laedatur, simulque illud *adiuvare* ut liberius seu facilius exerceatur. Natura enim ad hoc praecipue instituit politicam potestatem, ut individualia ac domestica civium iura (inter quae proprietatis ius est, ut diximus, omnino connumerandum) tueatur et adiuvet. Si igitur privatum civium dominium violet et opprimat, rex civilis potestate sibi a natura concessa maxime abutetur. — Apposite Tullius (1): « In primis videndum erit ei, qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice deminutio fiat. » Et paulo inferius: « Qui se populares volunt, ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas

(1) De officiis, II. 21. — Paulo post subdit: « Hanc ob causam maxime, *ut sua tenerent*, respublica civitatesque constitutae sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen *spe custodiae rerum suarum*, urbium praesidia quaerebant? »

debitoribus condonandas putant, ii *labefactant fundamenta reipublicae; concordiam* primum, quae esse non potest, ubi aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae: deinde *aequitatem,* quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet: id enim est proprium civitatis atque urbis, ut *sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia:* » h. e. ut eo, quod quisque sibi recte acquisivit, frui queat secure et palam sine metu raptoris et invasoris cuiuslibet, sive raptoris qui persona privata sit, sive raptoris qui, quod peius est, sit persona publica. « Si, inquit s. Thomas (1), aliquid principes indebite extorqueant per violentiam, rapina est, sicut et latrocinium.... Unde ad restitutionem tenentur, sicut et latrones: et tanto gravius peccant quam latrones, quanto periculosius et communius contra iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi. »

2°.) Insuper, potest sane ac debet supremus imperans ius hoc proprietatis *coordinare ad bonum commune*, i. e. ad publicam quietem seu prosperitatem dirigere. Inde autem plura sequuntur, quae principi civili profecto competunt: ex his iuverit aliqua breviter innuere. — Princeps politicus intuitu boni communis, ac proinde ex causa iusta omnino ac rationabili, potest statuere legales formas, quae si in occupatione aut mutuis contractibus non serventur, iam ii actus sint illiciti atque etiam invalidi ad rei proprietatem acquirendam (2). — Item, si privati alicuius dominium in rem aliquam, etsi legitimo iam facto acquisitum, veniat in conflictum cum bono communi, potest ob iustam hanc

---

(1) In 2. 2. q. 66. a. 8. ad 3m.

(2) Ut iam diximus in thesi XXVIIa., sunt conditiones ex ipso naturali iure necessariae ad validitatem contractuum. His auctoritas socialis potest addere conditiones alias, quae ut addantur bonum commune exigat vel suadeat.

boni communis causam (1) illi, ut dici solet, praeiudicare. — Eodem pertinet, quod, publica quiete ac securitate id exigente, rem alienam, praescripto temporis spatio bona fide possessam, decernat fieri illius seu adiudicet ei, qui eam obtinet, quamvis deinde tempore *praescriptionis* peracto inveniatur, titulum primitus seu ab origine fuisse invalidum (2). Id scilicet publica quies ac securitas exigit, ne iura remaneant semper incerta, et sic iurgiis ac litibus ansa detur.

Haec autem aliaque eiusmodi (quod est rite considerandum) non iam sunt actus proprietatis aut comproprietatis, quam rex politicus habeat in privata civium dominia, sed sunt exercitium iuris politici, quod natura regi dat, simulque officii, quod eidem imponit, curandi totis viribus, ut omnia in communitate recte et pacifice peragantur, sicque ordo et prosperitas stabiliantur, conserventur ac magis magisque florescant. Exinde vero nil profecto sequitur in favorem sententiae Socialistarum attribuentium principi civili plenam in privata civium dominia potestatem. — Sed de his fusius agemus in capite sequenti, in quo *de iure sociali* pertractabimus.

---

(1) *Iusta haec causa boni communis* omnino requiritur, ut actus, quo princeps politicus praeiudicat privati alicuius dominio, sit *validus*. — Nam princeps civilis, qui vinculum *iuris naturalis* abrumpit aut modificat, se habet ad modum inferioris ex potestate sibi concessa dispensantis in lege superioris. Atqui talis inferior dispensans *sine iusta causa* in lege superioris, *nihil facit*. Etenim 1º.) lex illa superior non est lex *sua*: 2.º) potestas ei delegata non intelligitur concessa ad patrandum *malum*. Aliud est de ipso conditore legis, qui etiamsi sine causa dispenset, cum tamen id faciat in lege sua, valide facit, quamvis possit et ipse agere illicite. — Ergo princeps civilis praeiudicans dominio privati alicuius sine iusta causa boni communis, nihil facit.

(2) Conditiones ad praescribendum necessariae sunt quinque: — 1º.) ut res sit praescriptibilis — 2º.) possessio — 3º.) titulus — 4º.) tempus requisitum — 5º.) bona fides.

Thesis XXX.

Dominium, quod natura etiam privatis in res proprias concedit, complectitur quoque ius testandi. Errant igitur tum Communistae qui ius illud reiiciunt, tum Socialistae qui a sola legis civilis dispositione ius illud repetunt.

93. Praenotiones. Quod divites (sic aiunt nonnulli) de rebus, quas dicunt suas, disponant quamdiu vivunt, tolerari aliquo modo potest. Illud est prorsus intolerabile, quod audeant de iis disponere etiam ultra vitae suae terminum, eas nimirum aliis donando *per testamentum*. Interveniente enim morte possessoris, huius bona naturaliter evadunt *nullius*, aut transeunt in dominium societatis civilis. — De hac quoque opinione ferendum est iudicium, utrum necne recta sit ac vera.

Scilicet, duo haec quaerenda sunt: — utrum is, cui rei alicuius dominium inest, ius quoque habeat *testandi*, seu alteri rem illam testamento relinquendi: — et si habet tale ius, undenam habeat, an tantum ex iure positivo, an vero ex ipso iure naturali.

94. Demonstratio. I. Affirmamus *primo*, eum, qui legitime rem aliquam possidet seu illius est dominus, habere ius testandi. Hoc affirmamus contra Communistas, qui sicut dominium privatum, ita ius testandi prorsus reiiciunt.

Arguimus 1°.) ex consensu unanimi et constanti omnium hominum. Hoc scilicet ius esse cum rei dominio connexum, semper et ubique admissum fuit: voluntatem testatoris esse sancte implendam, communis est ac semper fuit sententia.

Arguimus 2°.) ex conceptu ipso dominii proprietatis. — Qui est dominus rei alicuius, habet ius eam destruendi, transformandi, alienandi, alteri cedendi seu donandi pro libito: brevius, habet ius disponendi prout vult de re illa sua, quamdiu manet sua (1). Porro quemadmodum potest alteri rem cedere seu de ea disponere *nunc* pro *nunc*; sic etiam potest illud idem facere *nunc* pro *tunc*, i. e. pro futuro alio vitae suae instanti, non excepto sane *supremo vitae momento*, quo momento illa res, haud secus ac in praecedentibus, adhuc est vere ac proprie sua. Sed ius testandi non est nisi ius donandi rem alteri, seu de re sua disponendi *nunc* pro *supremo vitae instanti*. Ergo qui est dominus rei alicuius, habet quoque ius testandi. Huius iuris usui respondet in altero, in cuius favorem facta sit dispositio, moralis potestas (quam alii omnes revereri tenentur) testatori succedendi in rei illius, de qua agitur, dominium. Opus quidem est, ut constet, testatorem non retractasse voluntatem, sed perdurasse in intentione cedendi rem illi alteri, seu disponendi de re tali modo: hoc autem manifestum fiet ex testamento, quod definitur, declaratio ultimae nostrae voluntatis.

Obiiciunt: Quomodo e sepulchro possunt defuncti disponere adhuc de iis rebus, quarum possessionem in vita quidem habebant, sed per mortem iam amiserunt? — Respondeo: nequeunt profecto id facere. Sed quamvis de iis rebus post mortem non disponant nec possint disponere, tamen potuerunt de iis disponere et disposuerunt in vita (2), quando adhuc erant rerum illarum domini. Sci-

---

(1) Hoc lex XII. tabularum hisce efferebat verbis: « Prout quisque rei suae legassit (legem dixerit) ita ius esto. » — Qui de re sua disponit, legem dicit rei suae.

(2) Testamentum est dispositio rei propriae facta in vita. — Hoc potest adhuc magis declarari sequenti ratiocinio. Testamentum

licet, eorum actuum, quos dum viverent posuerunt, illius nimirum voluntatis atque intentionis, quam viventes habuerunt (et cuius testis ac custos est testamentum, in quo voluntas illa moraliter veluti perdurat), possunt perseverare, et reapse perseverant effectus, etiam post eorum obitum. Neque id mirum aliquid aut novum videri debet. Tot enim sunt aliae causae, quas videmus gignere effectus multos, qui, ipsis desinentibus, non idcirco cessant, sed existere pergunt atque agere. Quod igitur de aliis causis, hoc idem de actionibus istis *iuridicis* contingit. — Praeterea id, quod obiicitur, si valeret contra cessiones seu donationes istas, de quibus modo loquimur, *per testamentum*, vim etiam haberet contra donationes *inter vivos*. Quod nemo non videt quam falso et inepte concederetur.

II. Affirmamus *secundo*, ius testandi, quod alicuius rei domino competit, procedere ab ipso iure naturali.

---

est quaedam cessio seu *donatio*. Sed qualis donatio est? estne donatio *conditionata* an vero *absoluta?* Si α) concipis et dicis testamentum esse donationem *conditionatam* habentem pro conditione factum mortis, tunc sane patet, testamentum esse dispositionem rei propriae factam in vita. Etenim in donatione conditionata, dispositio non consistit in eventu facti pro conditione appositi: eventus hic tantummodo requiritur, ut dispositio olim facta suum habeat effectum. Si vero β) concipis et dicis testamentum esse donationem *absolutam* factam in limine vitae, tunc etiam patet, testamentum esse dispositionem rei propriae factam in vita. Quaeri tantummodo potest, quomodo concipiendo testamentum ut donationem absolutam factam in supremo vitae instanti, habeatur id quod est de natura testamenti, nimirum quod sit *revocabile*. Verum hoc etiam habetur. Nam donatio facta in articulo illo mortis est natura sua revocabilis: siquidem donatio, mutato statu donatoris, est natura sua revocabilis. Quemadmodum si donator e divite fiat pauper, potest donationem etiam absolute factam revocare, ita donationem factam in periculo mortis revocare potest, si eo cessante periculo convalescat. Cfr. super. p. 309.

Hoc tuemur contra Socialistas, qui testandi ius a sola legis positivae seu civilis dispositione repetunt.

Arguimus 1°.) ex eo, quod ius hoc testandi recognoscatur seu vigeat non in hac tantum vel in illa, sed in quavis societate civili. Id autem indicium profecto est, ius hoc procedere a lege illa naturali, quae cum sit naturalis est communis omni civili societati, non vero a lege positiva, quae varia est in variis politicis consociationibus (1). Lex igitur positiva non creat vel efficit ius testandi, sed illud a naturali lege recipit, declarat, confirmat.

Et sane 2°.) inde dimanat ius testandi, unde oritur dominium seu potestas disponendi pro libito de re, quam legitimo facto quis sibi acquisivit. Sed hoc dominium seu haec potestas profluit ab ipsa lege naturali. Ergo ius quoque testandi ab ipsa naturali lege fluere dicendum est.

Quaeres: Quamnam ergo potestatem suprema auctoritas habet quoad testamenta? — Quaedam sunt, quae, hac etiam in re, intuitu semper seu ratione boni communis, supremae auctoritatis subiecto competunt: praecipue vero determinare conditiones seu legales formas a civibus implendas, ut testamenta recte aut etiam valide fiant.

95. Scholion. Instant: Nonne hoc saltem admitti debet, bona eorum, qui *ab intestato* decedunt, esse *nullius*, aut in dominium societatis civilis devenire? — Respondeo, id etiam admitti non posse.

Filiorum enim successio in bona parentum *ab intestato*, est legi naturae apprime consentanea. Hoc autem probatur duplici potissimum argumento.

---

(1) Vide locum Aristotelis allatum super. vol. 1. pag. 292.: quo in loco Philosophus distinguit ius civile in *naturale* et *legitimum*. Cfr. ea, quae diximus supra th. II. pag. 22.

α) Ius profecto parentibus inest, bona sua filiis testamento relinquendi. Quum ius habeant id faciendi, simul vero ad id faciendum vehementer a natura impellantur, praesupponendum est, eos reapse voluisse sua bona filiis in haereditatem relinquere. Habemus ergo voluntatem parentum *praesumptam*, et recte prorsus ac rationabiliter praesumptam, cui voluntati standum est.

β) Aliud praeterea est attente perpendendum, videlicet *coniunctio naturalis*, eaque arctissima, filiorum cum parentibus. Filius sane tali vinculo patri adstringitur, ut sit eiusdem quasi effusio, propagatio seu continuatio: est, ut inquit Aristoteles (1), quodammodo pars eius, ὥσπερ μέρος αὐτοῦ. Hinc fit, ut naturali iure polleat succedendi in bona ipsius: in haec, quamvis pater intestatus obierit, suo iure succedit. Quae assertio pluribus scriptoribus videtur, ac merito quidem, nimium debilis. Addunt igitur filium succedere *sibi*: immo concipiunt filium in bonis paternis, etiam ante patris obitum, quoddam cum patre *condominium* habere. Profecto parentum, qui ab intestato decedunt, bona nequeunt dici *nullius*: sunt enim familiae, aut certe propter familiam. Habent ergo *dominum* in filiis qui supersunt. — Si filii desint, eorum loco succedunt gradatim ii, qui erant arctioribus sanguinis vinculis proprietario coniuncti, dummodo ille de suis bonis aliter non disposuerit. Neque enim ex naturae lege tenetur alicui providere, nisi illi vel illis quibus existentiam dedit. Quod si consanguinei omnino desint, tunc quidem succedit societas, ad quam defunctus pertinebat, utpote illi propinquior. Sed de his, data opera, agendum erit in capite sequenti, in quo *de iure sociali* disseremus.

---

(1) Ethic. VIII. 12., et V. 6. — Vide super. thes. II. pag. 26.

Thesis XXXI.

Cum quis certam rei alicuius proprietatem legitimo aliquo facto sibi acquisivit, lex naturalis praecipuum in modum vetat, ne alii, sive aperte sive occulte, rem illam alienam invito rationabiliter domino auferant, seu tum rapinam prohibet tum furtum.

96. Declaratio. Restat, ut de *iniuriis* contra dominium proprietatis dicamus. Hanc quaestionem *breviter* absolvemus: pleniorem enim eiusdem pertractationem remittimus ad Theologiam moralem, cui auditores nostri, Philosophiae curriculo absoluto, statim operam dabunt.

I. Duo sunt praecipui modi, quibus ius proprietatis laeditur.

α) Prior modus est, rem alienam auferendo *occulte*. Hoc dicitur proprie *furtum* (1), quod proinde solet hisce verbis definiri: furtum est occulta acceptio rei alienae, domino invito rationabiliter. Postrema haec verba merito adduntur. — Dicitur, *domino invito*. Si enim dominus rei alicuius consentiat, ut alter rem accipiat, iam rei acceptio non est iniuria: siquidem, ut alio loco diximus (2), *scienti et volenti non fit iniuria.* — Dicitur, domino invito *rationabiliter*. Si enim ius proprietatis, quod alicui competit in rem aliquam, veniat in collisionem cum alio iure, et quidem ita ut in tali conflictu non servet actu

---

(1) De *furto* iam diximus aliqua, vol. I. thes. XXXVI. p. 308,

(2) Vide supra thes. II. pag. 41. Ibi duo animadvertimus, ad rectam effati huius intellectionem necessaria.

suam vim sed quoad exercitium suspendatur (1), iam in iis adiunctis acceptio rei illius non est iniuria, quantumvis dominus sit invitus: siquidem iniuria est quidem laesio iuris alieni, sed iuris actu vigentis suumque hic et nunc servantis robur.

β) Alter modus est, rem alienam auferendo *aperte* et *cum violentia*, ut faciunt viarum obsessores, qui publice et per vim bona viatorum abripiunt. Hoc dicitur proprie *rapina*. — Rapina, ut iam alio loco animadvertimus (2), iniuriae reali seu iniustae ablationi rei alienae, addit iniuriam personalem seu violentiam personae illatam.

Itaque furtum et rapina sunt duae species *acceptionis iniustae rei alienae*. Utraque prohibetur iis verbis, *ne furtum facias*. Quamvis enim hisce in verbis non fiat expressa mentio nisi de furto, tamen cum furtum sit malum minus, quando hoc vetatur, a fortiori vetatur rapina, quae in eodem genere est malum furto gravius. Porro (quemadmodum de homicidio diximus) reus furti aut rapinae est, non solum is, qui ad illud se habet ut causa *physica*, sed is etiam, qui ad illud ut causa *moralis* cooperatur.

II. Ad furtum aut ad rapinam multae aliae reducuntur iniuriae: de praecipuis breviter dicemus (3).

α) Ad furtum revocantur omnes *fraudes* et *doli*, qui

---

(1) Vide super. thes. VI., in qua de conflictu seu collisione iurium diximus. — His solvi potest quaestio, *utrum liceat rem alienam sumere in casu extremae necessitatis*: de qua cf. s. Thomam. 2. 2. q. 66. a. 7.

(2) Cfr. thes. II. pag. 39. adnot. 1.

(3) Cfr. Card. Bellarminum et s. Thomam, tr. de dec. praec.

in venditionibus, emptionibus (1) aliisque huiusmodi contractibus perpetrantur. — Qui has adhibet fraudes, is aufert iniuste rem alienam: siquidem accipit ex bonis alterius plus, quam det alteri ex bonis suis (2). Hoc autem facit *occulte:* est igitur *fur.*

β) Ad rapinam reducuntur *usurae* omnes, quae fiunt mutuam dando pecuniam (3) aut quid simile, hoc inito pacto, quod ratione solius mutui tanto plus reddatur. — Huiusmodi ,inquam, usurae ad *rapinam* reducuntur: siquidem plus, quam datum est, exigitur *manifeste.* « Sed dices forsitan: quare non possum dare pecuniam, sicut equum vel domum? Dicendum, quod in illis est peccatum, quae bis venduntur. In domo autem sunt duo, scilicet substantia et usus. Aliud autem est habere domum, et aliud uti domo: unde separatim possum usum vendere sine domus venditione, et ita in omnibus huiusmodi. Unde si aliqua sunt, quae consistant in usu tantum, et usus eorum est distractio, non potest fieri id quod de domo. Denariis autem utimur distrahendo et frumento consumendo; et ideo si usum vendis, bis vendis. » Ita s. Thomas (4). Hanc praecipue quaestionem de *usura* remittimus ad Theologiam moralem.

---

(1) Pretium debet esse *iustum,* i. e. respondens valori rei. Vide ea, quae de iusto *naturali* et de iusto *ex condicto* diximus super. thes. II. pag. 30.

(2) Vide quae de iusto seu aequali per aequalitatem arithmeticam diximus supra thes. II. pag. 27. seqq.

(3) Quid est *pecunia*? Est, ut iam cum s. Thoma diximus, pag. 274., communis quaedam *mensura* rerum venalium, ab arte humana adinventa propter facilitatem commutationum. Est insuper iis, qui aliqua re in praesens non indigent, quasi quidam *fideiussor* futurae permutationis, si quando ea re indigebunt. Cfr. Aristotelem, Politic. I. 3.

(4) Op. nunc cit.

Duo haec principia praesertim statui solent: 1°.) Illicitum est lucrum percipere ex mutuo *praecise ratione mutui*. 2°.) Possunt adesse causae *mutuo extrinsecae* (lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis amittendae etc.), quarum intuitu liceat aliquid accipere ultra *sortem*, i. e. ultra rem mutuo datam.

γ) Iniuria etiam est *simplex damnificatio*, quae fit, quando aliquod proximo infertur damnum, quin damni illator aliquid sibi lucretur: e. g. quando quis domum alterius incendit. — Haec autem iniuria reducitur ad *furtum* vel *rapinam*, prout *clam* vel *palam* perpetratur.

δ) Ius alienum ille etiam violat, qui non restituit sed detinet rem, quam reddere tenetur. — Est, ut patet, furti reus: rem enim alienam sibi retinet, domino rationabiliter invito. Ad rem s. Thomas (1): « Detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione iniusta. Et ideo sub iniusta acceptione intelligitur etiam iniusta detentio. »

ε) Qui invenit rem ab alio amissam, debet inquirere de domino, eique rem restituere. Si e contrario non inquirat de domino et rem illam alienam sibi retineat, furti crimine se obstringet, iuxta illud s. Augustini (2): « Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti. » — Dixi, *rem ab alio amissam*. Neque enim furtum est, sibi reservare res, quae vel nullius umquam fuerunt, vel a domino sunt derelictae.

ζ) Iniustum tandem est, res *communes* sibi mancipare. — Hoc agere idem profecto est, ac socios privare

---

(1) In 2. 2. q. 66. a. 3. — Vide ea, quae diximus super. thes. VII. pag. 91.

(2) Serm. 19. de verbis Apost. c. 8. — Cfr. s. Thomam, l. c. a. 5. ad 2^{m}.

earum rerum usu, ad quem ii habent ius: est ergo rapinam aut furtum facere.

η) Homines senserunt ius atque officium ab ipsa ortum natura, quasdam e rebus suis Deo in religionis officia dicandi. Qui has res expilet, is est non solummodo *fur* et *rapax*, sed etiam est *sacrilegus*. Immo a lege XII tabularum vocatur *parricida* (1): « Sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitve parricida esto. » Quod sane debet intelligi non modo de privatis, sed etiam de regibus: hi, si res Deo sacras audeant expilare, labefactant fundamenta reipublicae, nempe *religionem*.

III. Iamvero ad hoc praeceptum, *ne furtum facias*, implendum debent multae *speciales* rationes hominem inducere: de aliquibus mentionem faciemus (2).

α) Nullum fortasse peccatum est ita periculosum, ut furtum. Etenim nullum peccatum remittitur sine poenitentia et satisfactione. Aliorum quidem criminum cito peccatorem poenitet, sicut patet in homicidio, cessante ira. At criminis huius raro furem poenitet vera et efficaci poenitentia, quae secum trahat debitam satisfactionem. Etenim tenetur fur reddere domino id, quod ab eo iniuste subripuit. Qua in re celebre est dictum s. Augustini (3): « Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest. » Quae verba ita exponit Gury (4): « Si restitutio est impossibilis *in re*, saluti non obstat. Sed nemo a restitutione *in voto* excusari potest; et quisquis ius alienum laesit, semper firmum habere debet propo-

---

(1) Cfr. Tullium, de leg. II. 9. In cap. 15. legem cit. explanans, ait: « Sacrilego poena est, neque ei soli qui sacrum abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum. »

(2) Cf. s. Thomam, opusc. iam cit.

(3) Ep. 153. ad Macedonium.

(4) Tract. de iust. et iure part. III. de restitut.

situm restituendi, quando poterit: secus enim affectum ad rem malam retineret, sicque in peccato habituali versaretur. Ita omnes. Hinc s. Augustinus, in textu modo citato dicit: *cum restitui potest.* » Debet praeterea fur cetera damna domino illata reparare (1).

β) Praeterea furandi habitus impellit hominem ad maxima scelera perpetranda. Id videre est in latronibus, qui vias obsident, quique cupiditate res alienas abripiendi interimunt pacificos homines, sibique prorsus ignotos, erga quos nullo prorsus odio afficiuntur.

γ) Adde, supremum omnium iurium fontem ac vindicem Deum communiter non sinere, ut fures tranquille rebus alienis fruantur. Eas enim, ut plurimum, amittunt, et simul cum iis amittunt etiam ceteras res, quas legitime possident: hinc res alienae iniuste possessae solent recte comparari igni paleis commixto.

97. Scholion. Octo superioribus thesibus solvimus *octo* de dominio proprietatis quaestiones. In iis autem solvendis hunc ordinem sequuti sumus.

I. Cum omnis quae ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id de quo disputetur; hinc in thesi XXIV[a]. inquisivimus *quidnam sit* et *quotuplex sit dominium proprietatis*. Hisce autem instructi notionibus viam arripuimus. Tria vero tamquam manifesta praemisimus: α) Deum esse absolutum rerum omnium dominum: β) nullum homini inesse posse dominium, quod ab Ipso non dimanet aut conferatur: γ) Deum reapse concedere homini dominium rerum externarum (2). At vero conceditne ipsis privatis, an tantummodo humanae communitati?

(1) Vide quae diximus super. thesi VI. pag. 88. seqq.

(2) Cfr. super. thes. XXI. pag. 220. adnot. 2[a].

II. En statim obviam processere Communistae, aientes dominia *privata*, rerum praesertim *stabilium*, esse contra naturam, quae scilicet, ut ipsi contendunt, solum admittit dominium *collectivum*. Hinc in thesi XXV[a]. hanc sententiam expendimus, et contrarium deteximus, nempe *ea esse ab ipsa natura*, quae ea omnino approbat, utpote necessaria ad humanam vitam.

III. Porro cum non omnia, quae sunt a natura, uno prorsus eodemque modo ab ea procedant: hinc in thesi XXVI[a]. investigavimus, *quomodo dominia privata fluant a natura*. Invenimus autem actuale ius privati alicuius in hac vel illa peculiari re esse a natura *mediate*: et facta etiam assignavimus, unum *primigenium*, alia *derivata*, quibus mediis ius in hac vel illa determinata re naturaliter enascitur.

IV. Cum autem inter plura facta derivata praecipuum locum teneant *contractus;* hinc in thesi XXVII[a]. tradidimus eorum *definitionem* ac *divisiones,* necnon *conditiones* ex naturali iure necessarias ad eorum validitatem.

V. At iura, quae homini competunt, necessario sunt certis circumscripta confiniis seu limitibus; hinc in thesi XXVIII[a]. declaravimus, *quinam non sint et quinam sint dominii privati fines seu termini*. Illud autem diligentur perpendimus, utrum *inaequalis,* quae viguit semper et viget, bonorum inter privatos partitio sit contra an vero potius secundum naturam.

VI. Hic autem nobis occurrerunt Socialistae (1), tribuentes supremae auctoritati sociali quamdam veluti omnipotentiam in privata civium dominia. Hanc sententiam

(1) Nil diximus de *Nihilistis*. Hi scilicet (secundum Arisrotelis verba super. allata pag. 107.) indigent *poena*, non *ratione*. Quanam ratione seu quonam ex principio refelli possent, cum se nihil admittere profiteantur?

reiecimus in thesi XXIX^a^., ostendentes *quid hac in re non possit, quid possit, quid debeat facere supremus societatis princeps et rector.*

VII. Cum praeterea sit hoc in hominum more positum, bona sua sive filiis sive alienis *testamento* relinquere, nec desint qui morem hunc reprobent tamquam facinus omnino intolerabile; hinc in thesi XXX^a^. inquisivimus, *utrum dominium, quod naturae lex etiam privatis concedit, ius quoque testandi complectatur.*

VIII. Cum id, quod iure possidetur, iniuria auferatur, facile tandem fuit enumerare in thesi XXXI^a^. *praecipuas contra dominium proprietatis iniurias*, seu de furto agere ac rapina sive rei profanae sive sacrae.

Quae hactenus de proprietatis dominio breviter nec pro argumenti dignitate disseruimus, confirmare placet sapientissimis Leonis XIII. verbis (1).

« Publicae ac domesticae tranquillitati catholica sapientia, naturalis divinaeque legis praeceptis suffulta, consultissime providit etiam per ea, quae sentit ac docet de iure dominii et partitione bonorum, quae ad vitae necessitatem et utilitatem sunt comparata. Cum enim Socialistae ius proprietatis tamquam humanum inventum, naturali hominum aequalitati repugnans traducant, et communionem bonorum affectantes, pauperiem haud aequo animo esse perferendam, et ditiorum possessiones ac iura impune violari posse arbitrentur; Ecclesia multo satius et utilius inaequalitatem inter homines, corporis ingeniique viribus naturaliter diversos, etiam in bonis possidendis agnoscit, et ius proprietatis ac dominii, ab ipsa natura profectum, intactum cuilibet et inviolatum esse iubet: novit enim furtum ac rapinam a Deo, omnis iuris

---

(1) In Ep. enc. adversus Socialistarum sectas, *Quod Apostolici muneris*, die 18. Dec. 1887.

auctore ac vindice, ita fuisse prohibita, ut aliena vel concupiscere non liceat, furesque et raptores, non secus ac adulteri et idololatrae, a caelesti regno excludantur. — Nec tamen idcirco pauperum curam negligit, aut ipsorum necessitatibus consulere pia mater praetermittit: quin imo materno illos complectens affectu, et probe noscens eos gerere ipsius Christi personam, qui sibi praestitum beneficium putat, quod vel in minimum pauperem a quopiam fuerit collatum, magno illos habet in honore: omni qua potest ope sublevat; domos atque hospitia iis excipiendis, alendis et curandis ubique terrarum curat erigenda, eaque in suam recipit tutelam. Gravissimo divites urget praecepto, ut quod superest pauperibus tribuant; eosque divino terret iudicio, quo, nisi egenorum inopiae succurrant, aeternis sint suppliciis mulctandi. Tandem pauperum animos maxime recreat ac solatur, sive exemplum Christi obiiciens, qui *cum esset dives propter nos egenus factus est* (1); sive eiusdem verba recolens, quibus pauperes beatos edixit et aeternae beatitudinis praemia sperare iussit. — Quis autem non videat optimam hanc esse vetustissimi inter pauperes et divites dissidii componendi rationem? Sicut enim ipsa rerum factorumque evidentia demonstrat, ea ratione reiecta aut posthabita, alterutrum contingat necesse est, ut vel maxima humani generis pars in turpissimam mancipiorum conditionem relabatur, quae diu penes ethnicos obtinuit; aut humana societas continuis sit agitanda motibus, rapinis et latrociniis funestanda, prout recentibus etiam temporibus contigisse dolemus. ».

---

(1) II. Cor. VIII. 9.

γ) De non laedendo proximo in bonis famae et honoris.

Thesis XXXII.

Lex naturalis omnino prohibet, ne quis alteri in bonis famae et honoris iniuste noceat.

98. Demonstratio. Inter bona (1), quae homo vehementer diligit, recensentur haec duo, *fama* et *honor.* Lex vero naturalis omnino prohibet, ne in hisce bonis proximum iniuste laedamus.

I. Agemus primo de iniusta laesione *famae.* — Hoc vocabulo, fama, nos hic intelligimus bonam aestimationem, qua quis gaudet apud alios, viri probi et honesti (2). Huiusmodi bona aestimatio est tum magnum bonum in se tum fons plurium bonorum, praesertim in vita civili (3). Hinc homines merito eam magni aestimant:

---

(1) Cfr. s. Augustinum, de lib. arb. l. 1. c. 15., ubi varia haec bona recenset. — Pro hac thesi cf. s. Thomam, 2. 2. q. 67-76.

(2) Fama quoque est bona apud alios aestimatio viri *docti eloquentis periti in arte* etc. Sed nos *praecipue* loquimur de bona aestimatione viri probi. Quae de hac dicimus, facile erit ad omnem bonam aestimationem seu famam extendere.

(3) Ut apte animadvertit s. Thomas, 2. 2. q. 74. a. 2., « fama ipsa, quae per detractionem tollitur, ad hoc maxime necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. » — Itaque tollere famam, est idem ac tollere *amicos.* Sed sine amicis nemo vitam sibi optabilem esse ducit, etiamsi ceterorum omnium bonorum copia circumfluat: ἄνευ φίλων οὐδεὶς ἕλοιτ' ἂν ζῆν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα. Ita Aristoteles, ethic. VIII. 1.

merito curant et *debent* curare (1), ut eam sibi acquirant, acquisitamque conservent atque augeant. Quare quemadmodum iniuria est, alterum exspoliare divitiis, quas ille manuum labore sibi comparavit; ita iniuria est, eaque gravior, alterum privare bono nomine, quod virtutis exercitio sibi adeptus est. Dixi, *gravior*: tum quia fama est bonum praestantius quam divitiae (2), tum quia facilius est divitias quam famam semel amissam recuperare. Et rursus quemadmodum obligatio adest restituendi divitias iniuste abreptas et reparandi damna ex furto derivata; ita adest obligatio famam iniuste laesam restituendi et damna orta ex famae laesione reparandi. — Iamvero laesio famae potest pluribus modis fieri.

Potest quis iniuste alterius famam laedere *in iudicio:* videlicet, si *accusator* sit accusando falso, si *testis* sit testificando falso, si *iudex* sit iudicando inique seu iniustam sententiam proferendo. Nam tres hae personae praeter reum maxime concurrunt in iudicio, accusator testis et iudex. — Potest quis iniuste alterius famam laedere *extra iudicium:* hoc autem dupliciter, nimirum, *apud alios* per *diffamationem*, et *apud semetipsum* per *iudicium temerarium* vel *temerariam suspicionem*. De singulis dicemus brevissime. *α*) Diffamatio distinguitur duplex: i. e. *detractio* quae fit per iniustam (3)

---

(1) Lege ea, quae diximus super. thes. XX. pag. 218., ubi demonstravimus curam habendam unicuique esse de bono nomine.

(2) « Melius est nomen bonum, quam divitiae multae. » Prov. XXI. 1. — « Inter exteriora bona, ait s. Thomas, 2. 2. q. 73. a. 3., fama praeeminet divitiis, eo quod propinquior est spiritualibus bonis. »

(3) Dixi, *iniustam*. Etenim potest quis aliquando habere ius atque etiam debitum manifestandi alicui, e. g. superiori, verum alterius crimen propter utilitatem sive propriam sive aliorum sive ipsius delinquentis.

revelationem criminis veri, et *calumnia* quae fit per appositionem criminis falsi. β) Iudicium temerarium est firmus assensus ex levibus indiciis praestitus de aliquo peccato seu defectu proximi: suspicio autem temeraria est quaedam inclinatio ad admittendum sine sufficienti ratione peccatum aliquod seu defectum aliquem proximi. Ab utroque actu cavere debemus: unusquisque enim ius habet ad hoc, ut malus a nemine existimetur, donec eius malitia sit probata ac manifesta.

II. Breviter nunc dicemus de laesione *honoris*. — Nomine honoris hic intelligimus externam reverentiam, quam alter meretur propter suam virtutem, statum, conditionem, dignitatem. Iamvero honoris laesio communiter fit per *contumeliam.*

Contumelia definiri solet: iniusta honoris laesio praesenti et scienti irrogata. Praesens autem intelligitur aliquis vel *personaliter* seu *physice*, vel *moraliter* per imaginem aut per aliud in quo aliqua ratione repraesentatur. — Porro contumelia fieri dupliciter potest: α) *negative*, per omissionem honoris hic et nunc debiti: β) *positive*, factis vel verbis vel signis contemptus. Hinc ad contumeliam referuntur, *irrisio* qua quis verbis et risu spernitur, *subsannatio* qua quis gestibus ridiculis irridetur, *improperium* quo alicui inopia vel alius huiusmodi defectus exprobratur.

In hisce actionibus, quibus fama vel honor proximi laeditur, ut plurimum, subest *mendacium*. Quare aliquod mendacium est proculdubio malum, ratione scilicet damni, quod alteri infertur mentiendo. — At vero, quaeri hic potest de ipso in se mendacio, utrum nec ne sit semper malum? tunc etiam, quando nullum alteri affert damnum tunc etiam, cum e contrario nobis vel alteri prodest Huic quaestioni respondebimus in thesi sequente.

Thesis XXXIII.

Inter ea, quae naturali lege prohibentur, recenseri omnino debet locutio contra mentem seu mendacium.

99. Praenotiones. « Magna quaestio est, ut s. Augustini verbis (1) exordiamur, de *mendacio*, quae nos in ipsis quotidianis actibus nostris saepe conturbat, ne aut temere accusemus mendacium, quod non est mendacium, aut arbitremur aliquando esse mentiendum honesto quodam et officioso aut misericordi mendacio. » Haec igitur duo in primis inquiramus — quid proprie sit — et quotuplex sit mendacium.

I. Mendacium definiri solet *deliberata contra mentem locutio* (2), et tunc contingit, cum quis aliud habet in animo et aliud verbis enuntiat, seu aliter loquitur exterius ac sentit interius. — Quam definitionem ut rectius intelligas, duplicem cum s. Thoma (3) et Suaresio (4) distingue falsitatem dicentis, alteram *materialem, formalem* alteram. Materialis falsitas est, quando aliquis putans esse verum id, quod affirmat, vel falsum id, quod negat, decipitur et decipit; et tunc non committitur mendacium, sed levitas haud raro incurritur seu temeritas in loquendo (5).

---

(1) De mendacio ad Consentium, ab initio.

(2) « Mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur. » In 2. 2. q. 110. a. 1.

(3) Loc. nunc cit.

(4) Tract. de fide, disp. III. sect. V. num. 1.

(5) « Si quis falsum enuntiet, credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter. » Ita s. Thomas, ibidem. Et ut s. Augustinus ait, de verbis Apost. serm. XVIII.: « Ream linguam non facit nisi mens rea. »

Formalis autem falsitas est, quando quis iudicans falsum esse id quod dicit, illud affirmat, aut existimans esse verum, illud negat; et hoc est proprie mendacium, licet materialiter contingat verum esse id, quod affirmatur, vel falsum id, quod negatur (1). — Quaeres, utrum expressa intentio fallendi alios sit aliquid essentiale et intrinsecum ipsi mendacio. Respondeo, praedictam intentionem videri aliquid extrinsecum mendacio, seu se habere per accidens ad mendacium. Quae est sententia s. Thomae sic aientis (2): « Quod aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius. » Itaque ratio mendacii in hoc absolvitur, quod sit *locutio contra mentem.*

II. Vulgata est divisio mendacii in *iocosum*, *officiosum*, *perniciosum.* — Iocosum est illud, quod nec prodest nec nocet alicui, sed profertur ioci tantum seu recreationis causa, nempe boni alicuius delectabilis amore. Officiosum est illud, quod nobis vel aliis prodest, et ob hanc utilitatis propriae vel alienae causam profertur. Perniciosum est illud, quod iniuste nocet. — Duobus autem modis potest esse perniciosum: primo, quia est iniuriosum Deo, cuiusmodi est omne mendacium in rebus fidei, in iuramento etc.: secundo, quia est iniuriosum proximo, ut contingit in detractione, falso testimonio et iniquis contractibus (3).

---

(1) « Si vero aliquis formaliter falsum dicat, habens voluntatem falsum dicendi; licet sit verum id, quod dicitur, inquantum tamen huiusmodi actus est voluntarius et moralis, habet per se falsitatem, et per accidena veritatem, unde ad speciem mendacii pertingit. » Ita s. Thomas, l. nunc cit.

(2) Loc. nuper cit.

(3) Vide Becanum, Manuale controvers. l. V. c. 20. Alias mendacii divisiones vide apud s. Thomam, loco saep. cit. artic. 2.

100. DEMONSTRATIO. I. Mendacium ex se opponitur naturali ordini et quidem tripliciter. Hinc tripliciter cadit sub prohibitionem naturalis illius legis, quae ordinem naturalem conservari iubet, perturbari vetat. Est nimirum mendacium — deceptio seu malum proximi — abusus linguae seu sermonis — perturbatio naturalis societatis seu amicitiae.

Est 1°.) deceptio seu malum proximi. — Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Atqui non vis alios te decipere per mendacium, non vis alios generare falsam opinionem, seu infundere falsum in mentem tuam. Ergo ne facias alteri, ne tu ipse alios per mendacium decipias. Et sane falsa existimatio et error sunt malum quoddam intellectus. Adde, eum qui mendaciis assuescit, nocere etiam sibimetipsi: ei enim non creditur, quando etiam verum dicit.

Est 2°.) abusus linguae seu sermonis. — Ut s. Thomas loquitur (1), « mendacium non solum habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione. » Etenim usus linguae ac sermonis ad id est ab auctore naturae datus et ordinatus, ut interna animi sensa communicemus: in hoc consistit naturalis ordo seu finis sermonis. Atqui huic intentioni et ordinationi naturae est ex se contrarium mendacium: quod autem naturali ordini est contrarium, illud est ex se praeposterum seu malum. Ergo mendacium est ex se malum. « Cum voces, ait s. Thomas (2), naturaliter sint signa

---

(1) In 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4.

(2) Ibidem in corp. — Eo sane modo, quo innaturalis et indebita est ebrietas, in qua delectatio potui adnexa per abusum pervertitur et ordinatur non iam ad bonum physicum seu ad individui conservationem, sicut vult atque ordinat natura, sed ad eius nocumentum.

intellectuum, innaturale est et indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente. »

Est 3°.) violatio humanae societatis et amicitiae. — Naturae auctor Deus vult homines simul in societate vivere: est enim homo natura sua socialis, quae veritas inferius erit fuse demonstranda. Ergo praecipit id, sine quo societas humana bene recteque consistere non potest, et illud prohibet, quod humanam evertit societatem. Atqui sine veracitate nequit humana societas convenienter consistere, per mendacium humana societas destruitur: humana enim societas innititur mutua sociorum inter se fide, et haec mutua fides innititur veracitate et evertitur per mendacium (1). Ergo Deus naturae auctor omnino praecipit veracitatem prohibetque mendacium. Ut s. Thomas ait (2), « quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus. »

Demum 4°.) haec tria, quae attulimus, argumenta confirmantur ex communi hominum, etiam barbarorum, consensu, et ex eo quod omnes, praesertim vero pueri, « in quibus tamquam in speculis natura cernitur, » naturaliter erubescant, quando deprehenduntur mendaces.

II. Ex illis, quae de mendacio hactenus disputavimus, ea quae subiicimus, facile intelligentur.

α) Nullo prorsus in casu licitum est mentiri, ne

---

(1) Ad rem s. Augustinus, contra mendacium ad Consentium cap. IV.: « Vides quo tendat hoc malum, ut scilicet... omnis frater omni fratri non immerito videatur esse suspectus. » — Quemadmodum nunquam certi essemus de rebus fidei, si Deus posset mentiri, ita nunquam possemus aliis fidere, si licitum esset contra mentem loqui.

(2) In 2. 2. q. 109. art. 3. ad 1m.

tunc quidem, quando contra mentem loquendo obesses nemini, et tamen alicui, vel tibi vel amicis, prodesses, sive ad conservandam famam sanitatem vitam, sive ad magnum aliquod malum vitandum. — Qua in re multi errarunt affirmantes, licere subinde utì mendacio quasi helleboro, vel sicut utimur rebus venenatis in pharmacis (1). Atqui non ita res se habet. Mendacium enim est ex se malum. Καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν, τὸ δ' ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν. Per se autem mendacium quidem malum et vituperabile est, verum autem honestum et laudabile. Ita Aristoteles (2). Quae vero sunt ex se mala, numquam iure fieri possunt, nec per ullam circumstantiam extrinsecam, per ullum bonum optimumve finem possunt fieri bona et licita: siquidem circumstantiae extrinsecae et accidentales haudquaquam mutant intrinsecam rei essentiam, quae proinde si mala est, remanet semper mala, quibuslibet accedentibus adiunctis. Itaque, ut recte inquit s. Augustinus (3), « quisquis esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum. »

---

(1) Grotius, de iure belli et pacis l. III. c. 1., sic definit mendacium: est sermo repugnans cum iure existente ac manente eius, ad quem sermo dirigitur. Hinc quaedam recenset mendacia seu falsiloquia, ut ipse ait, *inculpata*, e. g. « quoties vita innocentis aut par aliquid aliter servari, et alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti non potest. » Haec postquam enumeravit, sic concludit: « Non placent haec scholae actorum paulo ante saeculorum, ut quae unum ex veteribus Augustinum ferme in omnibus sequendum sibi delegerit. » Ea sane nobis non placent, primo quidem maxima s. Augustini auctoritate commotis, secundo autem vi rationum, quibus sanctus ille doctor suam praeclare tuetur sententiam.

(2) Ethic. IV. 7.

(3) Lib. de mendacio ad Cons., in fine.

β) Ii etiam in errore versantur, qui contendunt, mendacium quidem non esse per se licitum, licere tamen dispensante Deo. — Neque enim mendacium ad eam pertinet classem actionum, quae peccata sunt propter solam prohibitionem libere factam a Deo, cuiusmodi fuit actio comedendi ex ligno scientiae boni et mali. Verum ad aliam illam pertinet classem actionum, quae primo quidem ex natura sua malae sunt, dein vero malae evadunt ex necessaria Dei naturae auctoris prohibitione: quae proinde sunt peccata duplicem quodammodo habentia malitiam, alteram radicalem antecedenter ad ipsam legem naturalem, alteram completam et formalem consequenter ad praedictam legem. Iamvero si de actionibus ad priorem classem pertinentibus, quae libere a Deo prohibentur per legem positivam, sermo sit, potest in iis locum habere dispensatio divina, qua sane interveniente, desinunt esse peccata. At si de aliis actionibus, quae necessario a Deo prohibentur per legem naturalem, agatur, nequit in iis habere locum dispensatio Dei propria et formalis, ut alibi declaravimus (1), sed solummodo impropria et materialis.

---

(1) Vide super. vol. I. thesim XXXVI., de immutabilitate legis naturalis. — Ad rem Suarez, loc. nuper cit. num. 8.: « Ea, quae sunt intrinsece mala, non recipiunt dispensationem etiam divinam. Neque exempla de homicidio vel furto contrarium suadent: quia in illis non est facta dispensatio in actione per se mala, sed est facta mutatio in obiecto, per quam fit, ut actio non sit eadem.... Non potuit per revelationem fieri, ut liceret Iacobo mentiri: potuit tamen per revelationem fieri, ut significatio verborum eius non esset falsa, quia per revelationem cognovit se esse primogenitum in re et ordinatione divina. Sic ergo per revelationem fieri potuit, ut verba illa haberent verum sensum et menti conformem, quem sine revelatione non haberent: et consequenter factum est, ut non esset mendacium quod alias esset, non tamen est factum, ut, manente men-

γ) Lex itaque divina positiva prohibens mendacium, non est nisi expressior declaratio legis divinae naturalis eiusque confirmatio. Ex variis Scripturae locis duo tantum innuemus. « Non mentiemini nec decipiet unusquisque proximum suum » (1). Apostolus (2) vero ait: « Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. »

δ) Etsi mendacium sit semper actio de se mala, legisque naturalis violatio, non tamen est semper *gravis* inordinatio. Mendacium *perniciosum* est leve vel grave pro ratione damni seu iniuriae, quae per illud infertur. Mendacium vero *officiosum* et mendacium *iocosum* per se non excedunt peccatum leve. « Duo sunt, ait s. Augustinus (3), genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamur, aut ut proximo prosimus mentimur. »

ε) Mendacio, de quo hactenus diximus, affinis est *simulatio*. De simulatione ita s. Thomas (4): « Ad virtutem

---

dacio, id est, locutione contra mentem, ab eo separetur malitia. » Alludit Suaresius ad caput XXVII^m. Geneseos, ubi Iacob dixit se esse Esau et sic loco Esau benedictionem adeptus est. — Non desunt auctores, qui dicant Iacob mentitum fuisse: eum tamen excusant a peccato *formali*, cum *bona fide* egerit.

(1) Lev. XIX. 11.

(2) Ephes. IV. 25. — Nota rationem, quae additur, *quoniam sumus invicem membra*. « Membra, ait s. Thomas in comm. in h. l., se invicem diligunt, et se iuvant mutuo in veritate. »

(3) Enarr. in ps. V.

(4) In 2. 2. q. 111. a. 1. Lege resp. ad 3^m.: « Sicut aliquis verbo mentitur, quando significat quod non est, non autem quando tacet quod est, quod aliquando licet; ita etiam simulatio est, quando aliquis per exteriora signa factorum vel rerum significat aliquid quod non est, non autem si aliquis praetermittat significare quod est. »

veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt *verba,* sed etiam *facta.* Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad *mendacium* pertinet, ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium eius quod in eo est, quod proprie *simulatio* dicitur. Unde simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbis vel quocumque alio facto. Unde cum omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam quod omnis simulatio est peccatum. » Haec, quae de simulatione diximus, aptari debent *hypocrisi* (1), *iactantiae* (2), *adulationi* (3), aliisque similibus vitiis.

101. SCHOLION I. Ut s. doctor Augustinus (4) apte omnino animadvertit, « aliud est *mentiri*, aliud *verum occultare*, siquidem aliud est, *falsum dicere*, aliud *verum tacere.* » Et alibi (5): « non est mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum. » Iamvero

---

(1) « Hypocrisis, ut recte inquit s. Thomas l. nunc cit. a. 2., simulatio est, non autem omnis simulatio, sed solum illa, qua quis simulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam iusti. »

(2) Cfr. s. Thomam, 2. 2. q. 112.

(3) Cfr. eumdem auctorem, 2. 2. q. 115.

(4) Loc. iam cit.

(5) Contra mendacium cap. X. Et ibidem paulo superius haec perpulchre dixerat: « Non hoc est occultare veritatem, quod proferre mendacium. Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo. Neque enim mentitus est dominus ubi ait, multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Vera tacuit, non

mentiri seu falsum dicere, est semper illicitum, sed verum occultare seu tacere est saepe licitum et quandoque etiam debitum. « Licet, ait s. Thomas (1), veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione. » — Et sane tria illa, quae attulimus, argumenta habent quidem vim contra mendacium, non autem contra occultationem veritatis. Qui veritatem abscondit, is non decipit proximum nec errorem in eius mentem infundit, sed *negative* non illi dat cognitionem rei, quae ad ipsum non pertinet et ad quam cognoscendam ius non habet: item *negative* quidem non utitur, *positive* tamen non abutitur sermone, qui sane datus homini non est ad omnia, quae in animo gerit, omnibus indiscriminatim aperienda; neque etiam mutuam illam labefactat fiduciam, in qua humani contractus ac commercia, humanaque societas innituntur. Fac e. g. Titium mihi dixisse, Caium virum esse iustum, sed aliquando intemperantem: Caio a me petenti, quid de se dixerit Titius, potero priorem quidem habiti sermonis partem manifestare, alteram vero de intemperantiae vitio abscondere (2).

In hac porro distinctione fundamentum habet doctrina de *restrictione mentali.* Inprimis duplex *restrictio mentalis* distinguitur, — *pure* seu *stricte* mentalis, — *late* mentalis.

α) Restrictio pure et stricte mentalis est dictum ex se

---

falsa locutus est, quibus veris audiendis eos minus idoneos iudicavit. Quod si eis hoc ipsum non indicasset, id est, non eos posse portare, quae dicere noluit, occultaret quidem nihilominus aliquid veritatis, sed posse hoc recte fieri fortasse nescirem, aut non tanto firmaremur exemplo. »

(1) In 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4m.

(2) Hoc aliud exemplum affert s. Augustinus, in enarr. in ps. V.: « Si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut non prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam. »

et praesentibus adiunctis ad unam tantummodo significationem determinatum, eamque menti loquentis contrariam, etsi per aliquid sola mente retentum efficere possit sensum verum: ut si ille, qui vitrum mox fregit, neget se fregisse, cogitans *anno superiore* (1). — Huiusmodi restrictio nullo pacto differt a mendacio, et consequenter est semper illicita, ut semper illicitum est mendacium.

β) Restrictio autem late mentalis tunc habet locum, cum expressio tum secundum se considerata, tum considerata secundum circumstantias, est aequivoca: hinc a me loquente accipitur secundum sensum verum, ab alio audiente accipitur secundum sensum falsum. Exemplo sit responsio, quam ferunt sanctum quemdam virum, nomine Felicem, dedisse. Is interrogatus a satellitibus, qui ipsum non norant et ad necem quaerebant, utrum vidisset Felicem, respondit, se neminem felicem cognoscere. Quo responso accepto, milites abierunt. En aequivocatio inter haec duo, *felicem nomine* et *felicem re*. Iamvero restrictio late mentalis non est mendacium: non enim est locutio contra mentem. Cum non sit mendacium, est, non quidem *semper*, sed *aliquando* licita. — Non est *semper* licita. «Non licet omnino, inquit Em. Card. d'Annibale (2), si id vetet *iustitia* aut *fides* aut *caritas:* iustitia, puta cum quis interrogatur a superiore suo vel magistratu, servato iure et ordine iuris: fides, ut in contractibus: caritas, quoties foret alteri gravïter nocitura.» Et sane si absque ulla prorsus causa aut cum causa levi possent temere aequivocationes hae adhiberi, iam ex ipsarum frequentia actum esset de mutua fiducia, et per consequens de

(1) Cf. Zallinger, Institut. iuris nat. l. 1. num. 88. seqq.
(2) Summ. th. mor. p. II. num. 300. sq.

humana societate: siquidem nemo iam posset alteri credere, sed in quovis dicto ambiguitatem sermonis suspicari posset ac deberet. — Est tamen *aliquando* licita, quum nempe rationabilis et iusta causa vere adest. Tunc enim illa deceptio seu error, cui audiens adhaeret, censeri potest non *voluntarius* illi, qui loquitur, sed ab eo tantummodo *permissus*: audiens debet suae fatuitati vel imprudentiae aut inconsiderationi errorem adscribere, cum sine iure vel etiam contra ius de re, quae ad ipsum non spectat, certior fieri vult. Sic licita sane fuit aequivocatio, qua in exemplo adducto sanctus ille vir usus est ad vitam servandam. Similiter licite restrictionibus late mentalibus utuntur omnes personae publicae, quando de rebus suae fidei commissis interrogantur ab iis, qui nullum habent ius easdem cognoscendi, ut sunt principum legati, secretarii, exercituum duces, magistratus, advocati, medici etc. (1). Nemo non videt incommoda, eaque gravissima, quae in societate sequerentur, si his personis publicis licitum subinde non esset secreta eis commissa occultare per restrictiones late mentales. Unde tantum abest, ut earumdem usus in supradictis casibus bono communi adversetur, ut e contrario exigatur a bono societatis: est enim saepe unicum medium celandi secretum.

102. Scholion II. Mendacium esse illicitum, ex eo etiam demonstravimus, quod illicitum sit, in mentem alte-

---

(1) De confessario constat omnino apud Theologos, ipsum interrogatum contra omne ius a tyranno, *an Titius confessus sit homicidium*, respondere posse et debere, *nescio*, quia confessarius id vere nescit scientia communicabili. Imo etiamsi tyrannus instaret et quaereret, *an hoc nescis scientia communicabili*, respondere adhuc posset, *nescio*, quia confessarius illud vere nescit ut homo, sed tantummodo cognoscit ut minister seu vicarius Dei. Et hanc suam responsionem posset etiam iureiurando confirmare. Cf. Gury in VIII[m]. praec. dec.

rius infundere falsum. — Quid ergo dicendum de iis, qui consulto imbuunt aliorum animos *falsis* et *pravis* opinionibus? Hi scilicet sunt multo peiores illis, qui proximo nocent in bonis corporis aut fortunae: laedunt enim id, quod est in homine praestantissimum, videlicet animum. Insuper, ut recte ait Solimani (1), « semen iaciunt scelerum omnigenorum. Depravato enim intellectu, necessario depravatur voluntas, atque inde per totam vitae rationem crimina erumpunt. Scilicet ii sunt omnium hominum scelestissimi, qui ex pravis, quas animo imbiberunt, sententiis male agunt. Isti enim delicta turpissima, quasi praeclara quaedam facinora, audentissime perpetrant. Qui autem, seu vehementiori aliquo animi motu, seu ignoratione delinquunt, ii facilius plerumque ac citius emendantur. » — Porro sicut pravis opinionibus alterius mentem inficere, ita exsecrandum scelus est, pravis consiliis aut suasionibus alterum ad peccandum impellere.

Hisce absolvimus quaestionem de *iniuriis*, i. e. *de non laedendo proximo in bonis suis*, sive *corporis* (num. 72-76.), sive *exteriorum rerum* (n. 77-102.), sive *animae* (n. 103.). Quae est apta iniuriarum divisio (2).

Aliam earumdem partitionem tradit Tullius (3) hisce verbis: « Cum duobus modis, id est, aut *vi* aut *fraude* fiat iniuria, fraus quasi vulpeculae, vis leonis videtur: utrumque homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore. » — Quam partitionem Dantes suscepit, ut iam alio loco diximus. Distinguit enim iniuriam in eam, quae *vi* fit et in eam quae *fraude*:

---

(1) Inst. eth. vol. 1. pag. 254.

(2) Cfr. s Thomam, 2. 2. q. 73. a. 3. « Bonum, inquit, *animae* non potest aliter ab alio tolli nisi *occasionaliter:* puta per malam persuasionem, quae necessitatem non infert. »

(3) De off. I. 3.

D'ogni malizia ch'odio in cielo acquista,
Ingiuria è il fine, ed ogni fin cotale
O con forza o con frode altrui contrista.

Porro eos, qui vi iniuriam faciunt, in tres dividit classes, i. e. in violentos contra Deum, contra se, contra proximum:

A Dio, a sè, al prossimo si puone
Far forza; dico in loro ed in lor cose
Com' udirai con aperta ragione.

Alios autem, i. e. fraudulentos, dividit in duas classes: fraus enim fieri potest vel in eos qui nobis fidunt, e. g. in parentes, vel in eos qui nobis non fidunt (1):

La frode, ond' ogni coscienza è morsa,
Può l' uomo usare in colui che si fida,
E in quello che fidanza non imborsa.

Hinc *violentos* collocat in tribus gyris septimi cycli, *fraudulentos* in octavo et nono cyclo. In octavo, quem *Malebolge* appellat, locat fraudulentos *adversus eos qui non fidunt:* hos distribuit in decem classes, i. e. in seductores, adulatores, simoniacos, coniectores, deceptores, hypocritas, fures, perversos consiliarios, auctores dissidiorum, falsarios. In nono locat fraudulentos *adversus eos qui fidunt,* i. e. proditores contra parentes, concives, hospites, benefactores: hunc nonum cyclum, appellatione ducta a quatuor magnis proditoribus Cain Antenore Ptolemaeo

(1) Ex hisce duobus modis iniuriam fraude perpetrandi, prior ille est deterior altero. In hoc enim altero violatur tantummodo vinculum *generale* amoris, quo erga *omnes* homines utpote nobis natura aequales ligamur. In illo vero violatur vinculum *speciale* amoris, quo erga *aliquos* homines utpote sanguine patria amicitia beneficiis nobiscum coniunctos arctius adstringimur.

Iuda, distribuit in quatuor partes, *Caina Antenora Tolomea Giudecca.* — Hisce modis homo esse potest, et quam frequenter est *iniustus!* Homo scilicet, quemadmodum suis omnibus numeris absolutus est animalium optimum, ita *a lege et iure semotus* est omnium deterrimum: *χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων* (1).

§. **II. De officio subveniendi proximo ex bonis nostris.**

103. « Quantulum est, recte dixit Seneca (2), ei non nocere, cui debeas etiam prodesse ! » Parva profecto laus est, abstinere a laedendis aliorum iuribus, nemini inferre iniuriam in bonis ipsius, officia implere iustitiae. « Noli arescere et sterilis esse. » Praebe alteri auxilium ex bonis tuis, officia imple humanitatis et beneficentiae. Quae enim utilitas, quaerit Aristoteles (3), huiusmodi prosperitatis, sublata beneficentia? Τί *γὰρ ὄφελος τῆς τοιαύτης εὐετηρίας ἀφαιρεθείσης εὐεργεσίας;*

Thesis XXXIV.

Ex aequalitate seu communicatione eiusdem naturae exsurgit generale officium amandi alios sicut nosmetipsos, i. e. non solum non laedendi alios in propriis ipsorum bonis, sed etiam alios ex bonis nostris opitulandi.

104. Demonstratio. Dupliciter possumus considerare homines — *secundum speciem* seu *essentiam* — *secundum individuum.* Si *α*) homines secundum speciem seu

(1) Ita Aristoteles, polit. I. 1.
(2) Ep. 95.
(3) Ethic VIII. 1.

essentiam consideremus, invenimus *naturalem unitatem* seu *aequalitatem*. Omnes enim eamdem habent naturam: omnes sunt socii sub eodem universali omnium principe Deo: omnes sunt conservi eiusdem supremi domini Dei: nemo ad alium hominem ordinatur tamquam ad finem *cui*, sed omnes aeque ad Deum tamquam finem ultimum referuntur. Sin autem β) homines secundum individuum consideremus, invenimus *naturalem diversitatem quoad accidentia*. Huiusmodi diversitates dicuntur *accidentales*, quatenus non constituunt essentiam humanam. Sunt autem *naturales*, quatenus sunt a natura i. e. a Deo naturae auctore intentae: etsi reapse non existant, nisi per immediatam dependentiam a facto aliquo humano.

Iamvero ex istis accidentalibus diversitatibus oriuntur specialia officia, e. g. obedientiae patri, submissionis principi etc. » — Ex naturali autem unitate seu aequalitate oritur generale officium mutuae dilectionis. Habemus omnes eamdem naturam humanam: hanc ergo sicut in pretio habemus et amamus in nobis, ita in pretio habeamus et amemus in aliis, in quibus scilicet aeque ac in nobis inest (1). Sumus omnes socii sub eodem universali omnium principe Deo: alter ergo alterum, ut socios decet, amore debito prosequatur. Sumus omnes conservi eiusdem supremi domini Dei: alter ergo alteri, ut conservos decet, auxilium ferat. Omnes ex aequo ad Deum tamquam ad finem tendimus: alter ergo alterum honore afficiat, tamquam eiusdem sublimis destinationis participem, eique ad

(1) « Hoc, ita Tullius de off. III. 6., natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, *ob eam ipsam causam, quod is homo sit*, consultum velit. » — Et Seneca de Clem. I. 18., loquens de *servis* monet: « Est tamen aliquid, quod commune ius hominum vetet licere in illum: est enim *eiusdem naturae* ac tu »

communem illum finem assequendum adiumento sit. Paucis: *dilige proximum tuum sicut teipsum* (1).

Non dicitur, *quantum* teipsum, i. e. eadem affectus intensitate: si enim cum ceteris es natura aequalis, tecum ipso es unum idemque. Dicitur, *sicut* teipsum, i. e. simili dilectione: idque tum quantum ad finem, tum quantum ad formam, tum quantum ad effectum amoris. « *Sicut teipsum*, ait s. Thomas (2), non est referendum ad *aequalitatem* dilectionis, ut scilicet aliquis teneatur diligere proximum *aequaliter* sibi: hoc enim esset contra ordinem caritatis, quo quilibet plus tenetur suam quam aliorum salutem curare. Sed est referendum ad *similitudinem* dilectionis, ut scilicet *similiter* diligamus proximum sicut nosipsos. Et hoc tripliciter. — Primo quidem quantum ad *finem* dilectionis, ut scilicet nos et proximum diligamus propter Deum. — Secundo quantum ad *formam* dilectionis, ut scilicet sicut aliquis seipsum diligit quasi sibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat quasi ei bona volens. Qui autem diligit proximum ad hoc solum, ut eius utilitate vel dilectione potiatur, non vult bonum proximo, sed ex proximo vult sibi bonum. Quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales, puta vinum vel aquam, ut scilicet eis utatur. — Tertio quantum ad *effectum* dilectionis, ut scilicet aliquis necessitati proximi subveniat, sicut sibi: et quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, sicut nec propter suum amorem.»

Dices: hoc mutui amoris debitum sufficienter im-

---

(1) Proximus tuus est ille, qui tecum est in eodem gradu, i. e. qui aeque ac tu est factus ad fruendum Deo, quique proinde potest et ipse tecum consequi aeternam beatitatem. Non est alterius, sed eiusdem destinationis, non inferioris sed eiusdem naturae.

(2) Comm. in ep. ad Rom. cap. XIII. lect. 2. — Pro hac thesi cf. etiam eiusdem doctoris tract. de decem praec.

plemus, si abstineamus a laedendo proximo in bonis suis. — Nego. Nam mutui amoris praeceptum est hoc: *dilige proximum tuum sicut teipsum*, i. e. te geras erga alios homines, sicut exoptas alios se gerere erga te. Atqui rationabiliter exoptamus, non solum ut alii in bonis nostris nos non laedant, sed etiam ut alii nobis solatio et adiumento sint in nostris aerumnis et necessitatibus. Ergo debemus non solum non laedere alios in eorum bonis, sed etiam alios adiuvare ac solari in eorum angustiis et indigentiis. Quare naturale illud principium, *dilige proximum tuum sicut teipsum*, duplex continet praeceptum, alterum *negativum*, alterum *affirmativum*. Primum prohibet, ne ea mala, quae nobis inferri ab aliis nolumus, aliis inferamus: « *quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias* » (1). Secundum praecipit, ut illud bonum, quod nobis afferri ab aliis volumus, alteri praebeamus: « *omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* » (2). Primum exhibet officia *iuridica*, de quibus sat fuse diximus in sectione praecedente. Secundum continet officia *pure moralia*. Quorum alia sunt officia *humanitatis* vel *innoxiae utilitatis*, « iis utilia qui accipiunt, danti non molesta (3), » ut v. g. indicare viam,

---

(1) Tob. IV. 16. « Quis, inquit s. Augustinus, in Ps. 57., te docuit, nolle tibi furtum fieri? quis te docuit, nolle iniuriam pati, et quidquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest? Multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines clara voce respondent, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, *numquid solus es homo?* Nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est: et omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant, quod ille formavit. Quod ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere. »

(2) Matth. VII. 12.

(3) Cfr. Tullium, de off. I. 16.

permittere ut quis hauriat aquam, vel ignem accendat etc.: alia sunt officia *beneficentiae*, quae nimirum non sine aliquo nostro incommodo vel detrimento praestari possunt, ut v. g. dare pauperi eleemosynam, succurrere aegroto etc.. Quodcumque erga alios officium « *in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum sicut teipsum* (1). »

Haec etiam dari officia humanitatis et beneficentiae, pluribus aliis ostendi potest argumentis. — 1°.) Argui potest ex analogia omnium animalium. « Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi (2). » — 2°.) Argui potest ex *naturali* propensione ad beneficia aliis impertienda, ex *naturali* commiseratione aliorum quos malis oppressos videmus, ex *naturali* eaque dulcissima (3) delectatione quam in benefaciendo experimur, ex *naturali* voluptate quam ex aliorum in nos amore percipimus. Haec aliaque multa manifeste ostendunt, hoc velle naturam, ut alter alterum amet, alter alteri auxilietur. — 3°.) Argui potest ex eo quod unusquisque est *naturaliter* insufficiens ad plurima bona, quae tamen sunt ad vitam prorsus necessaria, sibi comparanda, seu *naturaliter* indigus opis alienae. Natura igitur hoc vult, ut homines vivant in *societate*, in eaque reperiant omnia illa quae sunt necessaria ad vitam. Est autem de ratione *societatis*, ut socii ad consecutionem communis boni se se mutuo adiuvent: sicque id, quod nemo singillatim obtinere potest, omnes simul conspirando assequantur. Hoc argumentum evolvemus uberius in capite sequenti, ubi de societate humana ac de naturali hominis sociabilitate sermo erit.

---

(1) Rom. XIII. 9. — De his officiis lege lib. Tob. cap. IV.

(2) Eccl. XIII. 19. — De hoc s. Scripturae loco cfr. s. Thomam, 1. 2. q. 27. a. 3.

(3) Vide locum Aristotelis super. allatum pag. 288.

105. SCHOLION. Quaeres: quanto cum *rigore* urgeat officium hoc mutuae dilectionis. Qnod attinet ad partem *negativam*, nemini est umquam iniuste nocendum (1). De parte autem *affirmativa* quaedam sunt notanda.

1°.) Illud in primis est manifestum, hanc ex caritate obligationem non vigere nisi erga *vere* indigentes, qui scilicet nequeunt sibi succurrere. « Sic si aliquis, quae verba sunt Card. de Lugo iam superius (2) allata, habens, quo cibos sibi comparet, nolit expendere et fame moriatur, non obligor ex caritate ad dandum ei ex meis pecuniis ut emat, quia non indiget: caritas autem non obligat cum eo rigore erga omnes proximos, sed erga *vere* indigentes. Ratio a priori est, quia haec obligatio fundatur in illo naturali praecepto, *diliges proximum tuum sicut teipsum*, seu, *quod tibi vis fieri, fac aliis*. Hoc autem intelligitur de iis, quae *rationabiliter* volumus et desideramus ab aliis. Nemo autem rationabiliter vult, ut, quando ipse propriis pecuniis potest suae necessitati subvenire, adiuvetur ab aliis. Sic etiam nemo rationabiliter desiderat, quod dum potest facile suae saluti consulere, alium non invadendo iniuste, subveniatur ab aliis sinentibus se iniuste occidi, ut eius saluti consulatur. »

2°.) Quum autem proximus vere indiget auxilio seu vere est in necessitate constitutus, tunc vel possumus ei subvenire absque nostro incommodo seu rerum nostrarum detrimento, vel non. Si primum, tenemur ei subvenire, ut patet. Sin alterum, duo debent perpendi: i. e. ex parte quidem nostra, qualitas et gravitas incommodi aut detrimenti in proximi favorem subeundi, ex parte vero proximi, qualitas et gradus necessitatis, in qua pro-

---

(1) Cfr. vol. I. thes. L. pag. 400.
(2) Vide thes. XII. pag. 252.

ximus reperitur. Nam detrimentum ex parte nostra potest esse *temporale* vel *spirituale* (1), *magnum* vel *maximum*. Item necessitas ex parte proximi potest esse *temporalis* vel *spiritualis*, *communis* vel *gravis* vel *extrema*. Iamvero ex horum aliorumque attenta consideratione casus, de quo agitur, est solvendus: utrum obligatio ex caritate in eo casu urgeat necne.

3°.) Quum plures in aequali versantur necessitate, nec possumus omnibus subvenire, *ordo debitus* servandus est. Scilicet, debemus consanguineos, propinquos, familiares ceteris praeferre: item debemus iis, a quibus nihil accepimus, praeferre amicos et benefactores, similique ratione extraneis cives, indignis dignos.

Quae omnia praeclaris hisce s. Augustini verbis (2) confirmamus: « Ille autem iuste et sancte vivit, qui rerum integer aestimator est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne — aut diligat quod non est diligendum — aut non diligat quod est diligendum — aut amplius diligat quod minus est diligendum — aut aeque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est — aut minus vel amplius quod aeque diligendum est (3). Omnis peccator inquantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo inquantum homo est, diligendus est propter Deum; Deus vero propter seipsum. Et si

---

(1) S. Thomas, 2. 2. q. 26. a. 4. ad 2m., haec habet: « Detrimentum corporale debet homo sustinere propter amicum, et in hoc ipso seipsum magis diligit secundum spiritualem mentem; quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quae est bonum mentis. Sed in spiritualibus non debet homo pati detrimentum *peccando*, ut proximum *liberet a peccato*. »

(2) De doctr. christ. l. I. c. 27. Vide etiam de discipl. christ. cap. 3. — Cfr. s. Thomam, 2. 2. q. 26.

(3) Vide super. vol. 1. pag. 432.

Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere quam seipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum; quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, et potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. Omnes autem aeque diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil iustius faceres, quam ut sorte legeres cui dandum esset, quod dari utrique non posset; sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatius adhaerere potuerit.»

Thesis XXXV.

Non solum officia iustitiae sunt etiam erga improbos et inimicos implenda: sed officia quoque humanitatis ac beneficentiae non sunt iisdem deneganda.

106. Demonstratio. In homine improbo et malefico distingui debent duo, nimirum *natura* et *vitium*. Natura est in pretio habenda et efficaciter amanda: vitium contra est odio habendum atque fortiter exstirpandum. — Haec si ob oculos habeantur, veritas huius theseos fiet statim menti manifesta.

I. Ut enim ait Tullius (1), « hoc natura praescribit, ut *homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit,* consultum velit. » Aliis verbis, officium amandi alios sicut nosmetipsos enascitur, ut iam dictum est, ex *aequalitate* seu *communicatione eiusdem naturae.* Iamvero vitium *deturpat* quidem, non tamen *aufert* naturam humanam. Ergo in vitioso ames naturam humanam, quae quamvis sit vitio deturpata, tamen est semper aestimatione et amore digna: odio habeas vitium, quod tam nobilem dignamque naturam deturpat. — Aptari huc possunt pulchra haec verba Epicteti (2): « Officia omnino relationibus definiuntur (3). Pater est? Dictatur curam ipsius esse agendam, cedendum ei in omnibus, ferendum esse si convicietur, si verberet. At pater *malus* est. Numquid igitur *bono* patri es natura copulatus? sed patri. Τὰ *καθήκοντα ὡς ἐπίπαν ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖται.* Πατήρ *ἐστιν; ὑπαγορεύεται ἐπιμελεῖσθαι, παραχωρεῖν ἁπάντων, ἀνέχεσθαι λοιδοροῦντος, παίοντος.* Ἀλλὰ *πατὴρ κακός ἐστι.* Μή *τι οὖν πρὸς ἀγαθὸν πατέρα φύσει ᾠκειώθης; ἀλλὰ πρὸς πατέρα.* » Haec, inquam, verba possumus nostro argumento aptare. Homo est? Praecipit naturae lex, ut ab eius iuribus laedendis caveamus, eique etiam opem feramus. At homo *malus* est. Numquid igitur cum homine *bono* es natura coniunctus? Non ita: sed cum ho-

---

(1) De off. l. III. c. 6.

(2) Enchirid. cap. 30. Cfr. etiam commentar. Simplicii in Epict. enchirid.: « Si pater improba voluntate fuerit, patris relationem non solvit voluntas: ea enim *natura* est constituta, non *voluntate.* Et talis est relatio ad *patrem,* non ad *bonum* utique patrem. Etsi igitur *malus* fuerit pater, tamen officia, quae patri debentur, ei praestanda sunt. » — Cfr. Solimani in quaest. de off. erga alios.

(3) Hoc caput absolvit hisce verbis: « Sic igitur a vicino, a cive, ab imperatore, *officii* rationem invenies, *si relationes considerare adsueveris.* » Cfr. quae diximus super. pag. 98.

mine. « Omnis homo, ut paulo ante cum s. Augustino diximus, inquantum homo est, diligendus est propter Deum. » — Huic argumento, quod praecipuum est, aliquot addimus confirmationes.

II. Ut notum fert adagium (1), « vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est, qui minimis urgetur. » Quare si fas esset, non quidem vitia, sed ipsum hominem propter vitia odio habere, nullus tandem esset homo, quem amare teneremur. « Vivitur, ut Tullius ait (2), non cum perfectis hominibus pleneque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur si sunt simulacra virtutis. »

III. Illud etiam animadverti potest, neminem esse, qui ex malo bonus fieri nequeat, et ita bonus, ut nobiscum sit in aeternum Deo fruiturus. Ad rem s. Augustinus (3): « Utinam, qui nos modo exercent, convertantur et nobiscum exerceantur. Tamen, quamdiu ita sunt, ut exerceant, non eos oderimus; quia in eo, quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit ignoramus. Et plerumque, cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, et nescis. »

Porro ad solvendas difficultates, praeter distinctionem iam adductam inter *naturam* et *vitium*, haec etiam sunt perpendenda. — α) Mutuae dilectionis officium non impedit, quominus debito modo iustam *restitutionem* vel *satisfactionem* a proximo exigas (4). — β) Distingue etiam inter dilectionem *communem* et dilectionem *specialem* amicitiae seu familiaritatis. Apposite s. Thomas (5): « Duo-

---

(1) Ex Horatio, Sat. I. 3.
(2) De off. I. 15.
(3) Enarr. in ps. 54.
(4) Vide ea, quae iam super. diximus de *vindicta* in thesi VII. pag. 93.
(5) In tract. de dèc. praec. Cfr. etiam 2. 2. q. 25. a. 8.

bns modis quis vult bonum alterius: uno modo *generaliter,* inquantum est creatura Dei et participabilis vitae aeternae: alio modo *specialiter*, inquantum est amicus vel socius. A generali autem dilectione nullus excluditur: debet enim quilibet pro quolibet orare, et cuilibet in necessitate ultima subvenire. Sed non teneris cum quolibet habere familiaritatem, nisi peteret veniam: quia tunc esset amicus, et si refutares, haberes odio amicum. » — γ) Illud, quod naturali lege prorsus prohibetur, est *delectari in malo alterius*. Hinc perperam agit ille, qui affectu odii malum pro malo reddit, sistendo in malo physico alterius. Sed potest quis, e. g. superior vel iudex, malum pro malo reddere alicui, e. g. poenam carceris latroni, ad ipsius emendationem vel ceterorum tranquillitatem vel criminis expiationem: nec tunc violabit, sed e contrario implebit naturalem legem, quae scilicet vult iustitiae ac pacis conservationem (1).

107. SCHOLION I. Si beneficia non sunt *inimicis* deneganda, quo animo quove studio erunt *amicis* rependenda! « Nullum, inquit Cicero (2), officium referenda gratia magis necessarium est. Quod si ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus; quidnam beneficio provocati facere debemus? An imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, guam acceperunt ? »

Quae cum sint apprime manifesta, in iis declarandis non immorabor. Concludam potius praeclaris hisce eius-

---

(1) Vide rursus ea, quae diximus thes. VII. pag. 94. seqq.

(2) De off. I. 15. — Hoc tamen adeo necessarium officium quam facile, quam frequenter violamus, praesertim si de grato erga Deum animo sit sermo. Apte Seneca l. de benef.: « Si te diligenter excusseris, vitium de quo quereris in sinu inveniens. »

dem auctoris verbis (1): « Cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quam me et *gratum* esse et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? Qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam iustis honoribus et memori mente persolvunt? Quae potest esse iucunditas vitae, sublatis amicitiis? Quae porro amicitia potest esse inter ingratos? »

108. Scholion II. In capite hoc secundo, cui titulus *de iuribus et officiis individualibus*, tres solvimus quaestiones. — 1°.) Diximus de officiis tum *essentialibus* tum *hypotheticis* erga Deum. — 2°.) Diximus de officiis tum *quoad animum* tum *quoad corpus* erga nosmetipsos. — 3°.) Diximus de officiis tum *iustitiae* tum *beneficentiae* erga proximum: agentes autem de officiis iustitiae, diximus etiam de *iuribus*, quae quisque habet ad vitam et corporis incolumitatem, divitias, famam et honorem (2).

Restat, ut ex angustiore individuorum gyro in ampliorem societatis campum progredientes, *de iuribus officiisque socialibus* agamus. Hoc erit argumentum capitis sequentis: argumentum, ut Philosophus ait init. Ethic., praecedentibus pulchrius ac divinius, *κάλλιον καὶ θειότερον*.

---

(1) Orat. pro Cn. Plancio XXXIII. 80. Vide quae de hac virtute diximus super. pag. 114. — Cfr. etiam Senecam, de benef.

(2) Quatuor itaque, ut s. Augustinus ait, de doctr. christ. l. I. c. 23., sunt diligenda: — unum quod supra nos est, scilicet Deus — alterum quod nos sumus — tertium quod iuxta nos est, scilicet proximus — quartum quod infra nos est, scilicet proprium corpus. Cfr. s. Thomam, 2. 2. q. 25. a. 12.

INDEX
RERUM SYNOPTICUS

PARS ALTERA

PHILOSOPHIA MORALIS SPECIALIS

ROGERIUS FREDDI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS IESU

Cum opus, cui titulus est *Institutionum Philosophiae Moralis Vol. II.*, a P. Augusto Ferretti nostrae Societatis sacerdote compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae 10 Octobris 1888.

(L. S.) ROGERIUS FREDDI

IMPRIMATUR

Fr. Ios. Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Sid. Vicesegrens.

